BIB. DOM.
ANDEGAV.
S. J.

20-F4

16.D.
+

20-F+
BX
2349
.R67
1729
Jesuitana

66700895
4/3/2009

PANACEA
ADVERSÙS
TRIA MORBORUM GENERA,
LINGUAM
OBSCOENAM,
CONVERSATIONEM
PRAVAM,
ET IMMODERATUM
LUSUM,

D 96

Italicè primùm reddita
à
R. P. CAROLO GREGORIO
ROSSIGNOLIO, SOC. JESU.
Nunc autem Latinè reddita,
ET
D. D. SODALIBUS
CONGREGATIONIS MAJORIS
ACADEMICÆ INGOLSTADIENSIS
IN XENIUM OBLATA.
ANNO M. DCCXXIX.

AUGUSTÆ, Typis Joannis Michaëlis Labhart,
Reverendiſſ. ac Sereniſſ. Principis & Epiſc.
Auguſt. ac Civitatis Typogr.

AD MARIANOS D.D. SODALES.

OPuſculum hoc dum in ſtrenam Januariam Vobis offero, & mori obſequor, & Veſtræ, ſat ſcio, expectationi. Illum à Majoribus acceptum negligere non oportuit; huic verò non potui non reſpondere. Quid enim? an animos Veſtros, ſanctioris doctrinæ ſemper quidem avidos, avidiſſimos tamen, ſi Matris Veſtræ nomine veniat, ſpe ſua fraudarem? At an votis Veſtris Xenium hoc, an expectationi etiam ſatìs reſpondebit? mole parvum eſt, ſtylô rudî, acrimoniâ eâ, ut videri poſſit nemini minùs, quàm Sodalibus, iis maximè, quales Vos eſtis, eſſe conſcriptum. Reſpondebit, ſatìs faciet, ſi non omnino parùm Veſtri mihi animi, Veſtráque humanitas ſunt perſpecta. Nam molem quod attinet, novi & pernovi, Vos pro Veſtra in rebus rectè æſtimandis prudentia de mole minimè ſolicitos, unum ſinapis granum centilibri peponi multùm antehabere, nec folio-

rum, ſed ſacri ignis (qui multus hîc ineſt) copiam cordi Vobis eſſe. Stylum, ſi delicatiores fortè aures is offenderet, vel hoc ſolum excuſabit, quòd ex Italico in Latinum ſermonem ad Ciceronis Libellam transferre inſania foret Quis enim omnes delicatiſſimæ linguæ delicias Latina Phraſi ſatis exprimat? Acrimonia denique, quæ lædere fors poſſet, Vos omnium minimè offendet. Non Vos illa petit, qui per DEI, & Magnæ Matris Veſtræ gratiam vitiorum, quæ hîc exagitantur, mancipatum aut declinâſtis, aut evaſiſtis: ſed vitia ipſa, & vitiîs hîſce infectos, quos eum in finem acerbiorî lixiviô defricandos duximus, ut, quoties hæc fortè legeritis, in memoriam Vobis reducatur, quantum Divinæ Matri, quantum normæ ab ipſa in Legibus ſuis præſcriptæ debeatis, ùt quæ à vitiorum turpiſſimis Vos adeò precul dimoverint.

Accipite igitur tenue hoc Opuſculum animô, quo offertur, optimô, fruimini illo, & tanquam Epiſtolam à Matre Vobis exaratam, quæ de legendis ſanctioribus libris, neſcio cujus ex Sanctorum numero eſt animadverſio, crebrò volutate. Ita opto

Totus Veſter in Chriſto

PRÆSES.

PARS

PARS I.

PANACEA ADVERSÙS LINGUAM OBSCOENAM.

CAPUT I.

Væ homini illi, per quem Scandalum venit. Matth. 18. 7.

Scandala Linguæ impudicæ.

§. I.

Scandalum ab Angelico Doctore definitur, *Occaſio ruinæ Spiritualis data proximo* 2. 2. q. 43. a. 1. & comparatur poſito in via publica offendiculo, in quod prætereuntes malè cauti impingant, ceſpitent, ac prolabantur. Explicat idem S. Doctor, quando peccet graviter, quando venialiter, qui præbet Scandalum; prout nempe vel grave nocumentum vel leve alienæ ſaluti affertur. Meum hîc non eſt, ingredi in quæſtionum Theologicarum difficultates, ſed duntaxat

taxat oſtendere, quòd, quisquis obſcœna loquitur, proximo occaſionem det ruinæ ſpiritualis, illum ad committenda peccata inducendo. Nec difficile id eſt demonſtrare; nam ſi recenſeam tibi cruentum aliquod prælium, & commiſſas ancipiti pugna duas fortiſſimorum populorum acies, nullâ morâ aut producuntur, aut excitantur in animo tuo truculentæ armorum & militum formæ, horribiléſque vulnerum & cadaverum ſpecies; Habent enim ſe verba ſigilli ad inſtar, atque in audientis Phantaſia earum rerum imagines exprimunt, quarum vicem in ſermone illa obeunt, quarúmque conceptibus tanquam ſigna ſubſtituuntur. Idem, quod de ſpecierum impreſſione dixi, evenit etiam in variorum affectuum per orationem concitatione; Nam per hanc ſæpe unam, prout deinde ſermo de re quapiam fuerit, animus jam in lætitiam exultat, jam in mœrorem demergitur, jam commiſeratione tabeſcit, jam denique horrore trepidat, aut odio inflammatur. Luculentioráque hæc eſſe puto, ac per experientiam quoque cuivis certiora, quàm ut multo argumentorum pondere eorundem confeſſionem exprimere opus credam. Igitur quisquis in confabulationem obſcœnos amores infert, actúsque impudicos, procul dubio in audientium animis ſpecies turpes is excitat, & phantasmata obſcœniſſima, quæ non jam intra imaginationis limites ſe continent, ſed frequenter alterius regni, voluntatis, in-

quam,

quam, terminos ingreſſa, complacentiam generant, & deſideria, & delectationes moroſas, & conſenſus, & opera abominanda. Nam ſi aliarum rerum formæ audientis animo per verba imprimuntur, facilè facillimè profectò formæ imprimentur turpes, obſcœnæ, peccaminoſæ, quia ſua jam ſponte *Senſus & cogitatio cordis humani prona ſunt in malum.* Geneſ. 8. 21.

Jam verò, ſi ille, qui obſcœnis his ructibus aures animúmque commodat, pro eo, ut peſtem hanc deteſtetur, placeat ſibi in illa, ejusdem objectis delectetur, deſiderare incipiat, ac in ipſum deni que conſenſum erumpat; an non erunt hæc deſideria, hi conſenſus & delectationes graviter peccaminoſa? an non grave alienæ ſaluti nocumentum creabunt? & quis, obſecro, tantorum malorum cauſa? quis author? Nemo certè, niſi impudens ille ſeductor, ille Dæmonis interpres, ille impurus blatero, dudum jam Hipponenſi Præſuli *in Pſalm. 119. DEI perſecutor, & Sathanæ mediator* appellatus. Imitatur nempe verſutus humani generis hoſtis, quod S. Ephrem *de rect. viv rat.* noſtro bono advertit, callidum & aſtutum aucupem, & quemadmodum hic aviculam primò captam, reliquo volucrum gregi deinceps exponit, ut ſorores quoque ſuas voce cantúque in retia viſcúmque miſella illex pelliceat, à quibus ipſa libertati s jacturam eſt paſſa: ita ille obſcœnis linguis, quas ſuas jam fecit, cal-

lidè utitur, facítque, ut impuris & venenatis, dulcibus tamen, ſibilis innumeram animarum multitudinem in ſua vincula pertrahant, ac dulci filiorum DEI libertate miſerrimè privent Dæmonis & infernorum aucupum Vicariæ, imò in ipſam Diaboli naturam pudenda & infelici metamorphoſi deformatæ. Et certè ſi Chriſtus eum, qui Scandala præbet, Dæmonis Vicarium appellâſſe non contentus, ipſo Sathanæ nomine indigitandum exiſtimavit, cùm Apoſtolorum etiam principem, quòd à morte adeunda, animarúmque noſtrarum ſalute, hoc medio aſſerenda, retrahere is niteretur, his verbis ſanè acribus reprehendit: *Vade poſt me Sathana, Scandalum es mihi.* Matthæi 16. 23. An ſeductorem animarum, an illum, qui Divini Sanguinis pretium Orco prodit, an ſpurcum, obſcœnúmque locutorem mitiùs habebit, & Dæmonem non dicet? Atque hinc fit, ut neminem unum ſub ſole vehementiùs amet Orcus, nullúmque omnino magìs curæ ſibi eſſe ſinat, quàm illum, qui aliis ad ſcelera facem prælucet, & eos, quos auditores nanciſcitur, pleróſque omnes verborum ſuorum telis & toxico inficit. Unum hujusmodi Orcus ſi habet, multis Dæmonibus tentandi labor comparcitur, unûsque talis par eſt corrumpendis oratione ſua innumerorum auribus, animíſque, ùt melliflulus Doctor pridem conqueſtus eſt *Serm 24. in Cant.* *Unus*, inquiens, *loquitur, & unum tantùm verbum profert,*

profert, & tamen uno in momento multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit.

Mirum eſt, quot ſymbolis, figuríſque utantur Sacræ Paginæ ad explicandam ſatìs Venereæ linguæ malitiam, ac pernicioſitatem, nunquam videlicet omnem illius peſtem ſatìs dilucidè propoſitam exiſtimantes, opúſque eſſe ratæ, ut eadem novis ſemper, novíſque coloribus ad omnium horrorem depingatur! Jacobus Apoſtolus in Catholica ſua Epiſtola *c. 3. 6.* comparat illam flammæ: *Lingua ignis eſt* inquit, *inflammata à gehenna.* Et bene; nam ſicut *ignis*, quòd S. Bernardinus Senenſis *T 3. S. de mutit a 3* notat: *ad deſtructionem potior eſt aliis elementis*, & una ſcintilla jam ſylvas integras in cineres redigit, jam ingentem hominum ſtragem etiam eminus affert, dum tormentis bellicis admovetur, jam denique integras civitates in aërem à ſua ſede expellit, dum peſtem ſuam latenti in cuniculis pyrio pulveri communicat; Ita lingua *maligniſſimum membrum eſt*, unóque etiam verbulo in aliorum cordibus impuras flammas excitat, evertit ſolidiſſima virtutum ſublimiſſimarum ædificia, mortémque cum venenato verborum melle propinat mentibus innumeris. Magìs vivis coloribus peſtilens hoc malum, os obſcœnum, à Propheta Regio pingitur, dum ab eodem patenti ſepulchro comparatur: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Pſ. 5. 10.

Quemadmodum enim ſepulchra putredine, bufonibus, ſanie, tabo, venenóque referta, ſi fortè aperiantur, eum fœtorem adſtantibus afflant, ut non raró animi deliquium, viriúmque omnium defectum patiantur, aliquando etiam omnino ſuffocentur; Ita fœculenta *eorum hominum ora, qui turpia verba proferunt*, ùt Chryſoſtomus in hunc locum Pſaltis Regii confirmat, mox ùt ſe pandunt, audientibus venenum propè immedicabile afflant, omnésque in iis animi vires ita proſternunt, ut nec intellectui ſua vis, nec voluntati vigor ſuus jam conſtet, ſed ille quidem in miſerandas tenebras, hæc in pernicioſiſſimarum rerum perverſa deſideria præcipitetur. Diviniſſimè denique rem hanc nobis explicat ipſe D. Spiritus, cùm per Ezechielem ad cavendum hoc genus linguas nos excitat, *Subverſores*, inquiens, *ſunt tecum, & cum Scorpionibus habitas*. c. 2. 6. Ut enim Scorpionis toxicum, candidum licèt ſit ac molle, lactíſque ad inſtar per vulnera non ſenſibilia infundatur; Simul tamen ita mortiferum eſt, ut momento inteſtina omnia pervadat, ac in ipſam vitæ ſedem, cor nempe, cerebrúmque ſe penetret; Sic omnino obſcœna lingua, ùt ſuavis illa videatur, & mellea, ac lacte plena, atrocia tamen infligit vulnera, & non contenta memoriæ & intellectui, ac voluntati fœdarum imaginationum, obſcœniſſimorúmque deſideriorum virus afflâſſe, ipſam etiam animam deplorandum funus facit.

§. II.

§. II.

SEd quid Scorpioni obſcœnam linguam comparamus? Pejor illa eſt hoc peſtilenti etiam animalculo, ùt quod veneno mortifero aliis tantùm, non ſibi turget, & ab ipſo toxico, quocum hoſtibus necem infundit, alimentum trahit, ac ſuccum vitæ producendæ utiliſſimum. Veſpæ potiùs ad inſtar illa ſe habet, nec alios feriet, quin Poëta teſte, *Vitam in vulnere ponat*, illáque Sapientis effata ſuo damno demonſtret eſſe veriſſima: *Lingua imprudentis ſubverſio eſt ipſius.* Eccleſ. c. 5. 15. Et: *Os ſtulti contritio ejus, & labia ipſius ruina animæ ejus.* Prov. 18. 7.

Serpentem generat India, qui in Elephantem cùm incidit, protinus in iras aſſurgit, veneno intumeſcit, & in hoſtem hunc ſuum magno quidem, ſed cæco auſu irruit; dum enim ventrem adverſarii aggreditur, dum vulnerat, dum exitiale virus injicit, ille quidem venenatæ peſti reſiſtere jam impotens, collabitur, & aggreſſorem ſimul ruinâ ſuâ involvit, opprimit, & miſerè ſuffocat. En linguæ impudicæ vivum prototypon! Sauciat illa innocuas auditorum mentes, & lethali, ac ſæpe non ſanando vulnere ſauciat, ínque profundam turpiſſimorum ſcelerum abyſſum præcipites agit. Verùm illa ipſa clade, quam aliis affert, ſe quoque implicat, ac infelici potiſſimùm morte ex hac vita ejicitur, omnis Divinæ miſerationis

dudum indigniſſima. Et quam, quæſo, miſerationem à DEO expectent Seductores hi? quam ſalutis ſpem concipere poſſint? quam à Servatore Chriſto miſericordiam ſibi promittant? eant ſanè, & ab orco, cui ſoli fidelem navârunt operam, opem implorent, à Redemptore ſuo præter odium iráſque, & damnationis triſtem ſententiam non eſt, quod expectent; Non ſolet ille pietatis viſcera iis impendere, quibus animas Sanguinis ſui pretio emptas, pervertere quotidianum fuit Longáque experientia conſtat, à juſto hominum Judice DEO aut majori facilitate condonari, aut leviore certè pœna caſtigari peccata etiam magna, ſi occulta ſint, quàm levicula alia, quæ in publico cum aliorum Scandalo perpetrantur. Non auderem hoc aſſerere, ſi non planiſſimis verbis Divus Joannes Chryſoſtomus præiîſſet hanc ipſam veritatem, qui *T. 5. 8. contra Concub.* ita conceptis verbis enuntiat: *Etiamſi graviter quis peccet, & clàm hoc faciat, minorem dabit pœnam, quàm qui leviter peccavit, idque impudenter cum aliorum ſcandalo.* Utque hæc non admireris tantùm, tanquam ingeniosè dicta, aut ſubtiliter excogitata, ſed tanquam ſolidam veritatem credas, perpende, quantùm hic agendi modus Divinæ juſtitiæ conveniat, quámque hæc ipſa juſtitia miſericordiſſimum aliàs Numen ad hanc, ùt appellabis, ſeveritatem adigat. Si unam unicam, priùs innocuam animam oratione laſciva, jo-

cíſque

ciſque Venereis pervertiſti, ſi illa perverſioni huic immoriatur, & æternis inferorum flammis mancipata, æternùm pereat, potésne unquam damnum hoc reparare? potes ſatisfieri ſibi volenti Nemeſi ſatisfacere? oculos mentis tuæ in DEUM tuum conjice deCœlis deſcendentem, induentem ſeſe paſſibili carne, exponentem ſe tot, tantíſque miſeriis, laboribus, opprobriis: Conſidera miſerè flagris conciſum, vepribus, ſpiníſque cruentatum, immenſa, dolorum omnium abyſſo in Cruce abſorptum; Conſidera, inquam, illum, & attentè conſidera, tum verò interroga, ut quid tantum lachrymarum, tantum ſudoris, tantum Sanguinis profundat? Si reponat, ſudare ſe, lachrymari, pati, ut animas ſalvet, ut æterno igni ſubducat, & Cœlo conquirat: Progredere tu quoque, & te inter, illúmque paralellam duc, & comparationem inſtitue, ac perpende, quantum ab illius moribus ſis alienus. Ille pro animarum ſalute curanda fecit, quidquid infinita charitas, immenſa bonitas ipſi dictavit. Tu pro animarum interitu machinaris, quiquid infinita tua malitia tibi ſuggerit, tu verbis tuis laſcivis redemptionis, lachrymarum, Sanguinis fructus perdis, ſanctíſque Servatoris conatibus pro viribus te opponis. Prô enormem malitiam! rapere è Chriſti ſinu animam Divino emptam ſanguine, & rapere eo ſine, ut in Tartarei tyranni vincula, in æternas miſerias ea incidat. Quid impium, quid diabolicum magìs?

Neque opponas, per exaggerationem me hæc dicere, neque re ipſa à pauculis laſcivis verbis animam ullam necari. Nam de fide eſt: *Corrumpunt mores bonos colloquia prava.* 1. Cor, 15. Imò quid de fide dico? Ipſius Philoſophiæ Ethnicæ, cui ſola naturalis ratio præluxit, ſcitum eſt, *Ex verborum licentia obſcœnitatem omnem effundi*, ùt Lact. *de Falſ. Rel.* tradit.

Finio hoc caput, & coronidis locô unam unicam vobis, obſcœni balatrones, quæſtionem ſolvendam propono. Edicite mihi, quam ſalutis veſtræ ſpem habeatis vos, qui lingua veſtra tot animas in exitium præcipites agitis? An fiduciæ forſan aliquid in Divino Sanguine reponitis, quem pro veſtra ſalute in Cruce Salvator effudit? Verùm hic ipſe Sanguis vindictam contra vos à Divina Nemeſi poſtulabit, eò quòd, cùm pro animarum ſalute profuſus is eſſet, fruſtra ſparſum eſſe feceritis, obſcœnis veſtris dictis innumeras illo redemptas animas, miſerrimè ſeductas, perimendo. Aut confiditis fortaſſè in Divina, & infinita illa miſericordia? at ſi DEUS rigidiſſimè, & ſine ulla miſeratione judicaturum ſe illos edixit, qui proximo bene non fecerunt: *Judicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.* Jac. 2. 33. An ſperare etiamnum poteſtis, quod benignè, & ex ſuaviſſimis pietatis ſuæ placitis acturus ſit vobiſcum, qui non ſolùm non bene feciſtis proximo, ſed malum, &

infini-

infinitum malum, quale eſt peccatum, in quod tot innocentes propuliſtis? O quàm vana ſpe lactamini? quæſo vos, & obteſtor, ſi Redemptori veſtram invidetis animam, ſaltem deinceps alienam eidem non eripite. Si tantum vobis animi non eſt, ut generoſum concipiatis propoſitum vitandi peccata propria, ſaltem alienis, quorum infrœnis veſtra lingua vos reos facit, vos abſtinete. *Sufficiant vobis ſcelera veſtra*, quod DEUS per Ezechielem *c. 44 6.* vobis inclamat. Si vultis in perditionis & damnationis barathrum obſtinato propoſito irruere; Irruite ergo; ſed *perditio vobis privata ſufficiat*, quod Gregorius monet *Paſt. L. 2. Admon. 3.* Quod enim gaudium, quod commodum ex ſeductis per ſcandaloſos veſtros ſermones animabus trahitis? quod lucrum, niſi pœnarum incrementum, & aliorum innumerorum æternam contra vos rabiem & maledicta.

§. III.
EXEMPLA.

IN magno Speculo Exemplorum legere eſt deſcriptas multis locis graviſſimas pœnas, quibus obſcœni, Cyprúmque ructantes bombylii fuerunt caſtigati. Fœminæ, huic vitio inſuetæ, poſtquam labia violenter eſſent divaricata, in ipſas fauces Stygio igne ſuccenſum, carbonem Dæmon injecit, his verbis illi inſultans: En! hæc pro obſcœnis tuis dictis mer-

ces eſt. Alter hujus farinæ jam morituriens, linguam ejecit totam vermibus ſcatentem, & fœtore ad ingentem præſentium horrorem. Alius in eodem mortis articulo conſtitutus, & animam jam agens, linguam ſuam laſcivam manibus arripuit: & eâ ex ore, quantum potuit, protracta in has voces deſperabundus erupit: Hæc maledicta lingua, hæc me damnavit; útque certiùs conſtaret omnibus, illum juſto DEI judicio adactum, hæc dixiſſe, intumuit repente lingua omnis fœdiſſimè, adeò, ut illam retrahere dein non poſſet, & inter horrendos rugitus ac ejulatus, intérque inexplicabiles dolores ipſam denique infelicem animam evomuerit.

Sed recenſendum eſt in hanc rem ſingularius aliquid, & à noſtra, aut ſaltem ab avorum memoria non remotum. Ante Annos circiter Septuaginta Societatis noſtræ Scholas in Auſtria frequentabat Juvenis, & à Nobilitate, & à modeſtia, & à vitæ innocentia omnibus egregiè charus, & commendatus. Et certè Superis ipſis videbatur arriſiſſe hic floſculus, quando creditum eſt, eo ſolùm fine contra omnium ſpem ſubita, præcocíque morte ſub noctem, quæ Sanctorum Innocentium feſtam lucem præcedit, illum fuiſſe decerptum, ne malitia mutaret intellectum illius. Verùm longè aliter, quàm ſperabatur, res evenit; Cùm enim ad parentis preces, dicturus pro mortuo piaculare Sacrum defuncti Præceptor (hunc enim in Collegio

altero

altero ſtatim die ille convenit) Sacrarium adiret, jámque hujus fores reſeráſſet, videt en! ingenti, ſed occulto impetu, ſe inſpectante, eas iterum occludi, ídque ſecunda vice. Inhorruit hîc Sacerdos, & attonitus aliquantùm, ſuíque impos ſtetit; reſumpto tamen paulò pòſt animo, heus tu! ajebat, quis es? homóne, an umbra? impero tibi in nomine DEI vivi, Chriſti JESU, edic, quis es tu? heu me! Pater! reponi ſibi audiît, heu me! anima ego ſum Diſcipuli tui hac primùm nocte defuncti. Cur igitur tu me à Sacrificio impedis, pergebat Pater, quod pro te offerre parabam? Heu me! reſpondit Defunctus, Sacrificia mihi jam nihil proſunt. Ergo in cœleſtem Paradyſum jam te tranſtulit innocentia tua? quærebat Pater. Vah! Paradyſum quid nominas, ululabat Spectrum, quo æternùm excidi, æternitatem omnem inter inferni miſerias inexplicabiles tranſacturus? útque non mireris falſa innocentiæ meæ ſpecie deluſus, ſcito Pater, quod meam quidem vitam in omnigena ac perfecta Sanctitate tranſegerim, ſed non niſi uſque ad heſternum, heu! infelicem diem. Illo enim obſcœna loquentibus, aures cùm præbuiſſem, & ſub noctem ad ſomnum me componens, ſermonem illum animo volverem, noxioſa curioſitas me invaſit ſciendi, experiendi, quid deliciarum id eſſet, de quibus audîeram. Rejeci initio, ſed parùm fortiter, & redeunti tentatori manus dedi, ſtatuíque, guſtare quidem

& experiri proximo manè dulce illud venenum, ita tamen, ut ſimul decernerem perpetratum facinus mox in Sacri Judicis aures deponere, Sacra Exhomologeſi expiandum. Vix ita tentationi ceſſeram, cùm rupta in pectore vena tantum ſanguinis quaquaverſum per omnes ſpirandi meatus diffudit, ut, licèt magnam illius vim redderem vomitu, reliquus tamen ſpiritum intercluſerit priùs, quàm poſſem ab offenſo Numine ſceleris veniam flagitare, aut dolorem de eo concipere. Hæc damnationis meæ, & æternaturæ calamitatis origo & cauſa eſt; Propter hoc omni deinceps tempore beatifica Numinis fruitione excidi. Hæc elocutus, videri miſer deſiît, inter horrendos ejulatus ad Tartara reverſus.

Ego verò hìc primò vobis penſitandum relinquo, obſcœni blaterones! quibus miſer ille maledictis ſeductorem ſuum, & infelicitatis ſuæ omnis authorem ſit proſecutus, quàm dira illi imprecatus, qua contentione Divinam Nemeſin poſtulâri t, ut ſpurcum illud, laſcivúmque os pro meritis graviſſimè & ocyùs puniat. Dein, ut conſideretis etiam, ſuadeo, ſi tanta ſeveritate oviculæ, priùs innocentis, crimen unicum punitum eſt, quas pœnas dederit, neceſſe eſt, lupus ille, qui ſuis dentibus eandem ad perditionis abyſſum pertraxit? Non vos jam ſolos, obſcœni, ſed omnes edicere mihi velim, quid ſentiendum de laſcivis confabulationibus, & an non ruinæ ſpiritualis occaſio-

nem illas præbere fatendum ſit, poſtquam demonſtratum eſt, unam unicam denique innocentiſſio cuique pervertendo, & ad Stygem detrudendo, eſſe nimis quàm ſufficientem, *Nihilque*, quod Chryſoſtomus ait *Hom 6. in 2 Corinth. æquè pudicitiæ nervos infringere, ùt flammam, quæ per os excitatur.*

Verùm ne fortaſſis, quidquid ex domo æternitatis teſtimonii adfertur, fabulas eſſe dicatis, & luſæ mentis deliria, en! etiam alios vobis ſiſto, qui veritati propoſitæ, in hac etiamnum vita ſuffragium tulêre; Neque enim ſemper ita tarda eſt Divina Nemeſis, ut poſt mortem meritam turpium linguarum caſtigationem differat. Sæpe crimine vix patrato, in viventes etiamnum animadvertit, & veritatis alicujus confeſſionem extorquet, multis dein profuturam. Redibat Divus Walericus (ùt in Vita ſancti hujus Abbatis ad diem primam Aprilis recenſet Surius) ex neſcio quo itinere in Flandriam, ac à rigidiſſimo frigore deprehenſus, ad pagum quemdam diverterat, atque in eo ad Curionis ædes, quem, ubi admiſſus eſſet, cum loci Judice de rebus turpiſſimis turpiſſimè diſſerentem, offenderat. Pro eo, ut DEI Servus humanè, & chriſtiana cum charitate exciperetur, verbis mordacibus pungi cœpit, & illiberalibus jocis traduci. Quare gravi ſimul & modeſta facie heus boni! ajebat, qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem? ùt audio, lutulenti illi ſunt, & Cy-

prum,

prum, ſtabulum olent. An autem hoc genus confabulationes, quas in mediaſtinis, & vulgi fæce reprehendimus meritò, prætoribus, an curionibus conveniunt? in memoriam revocate, quòd talium verborum ſeveriſſimo Judici DEO rationem exactam ſitis reddituri, ùt qui ipſus edixit, atroces pœnas etiam de omni verbo otioſo ſeſe exacturum.

Debuerat prudens hæc, & ſuavis ſanè monitio reprimere fæculenta ora; ſed adeò id effectum non eſt, ut quaſi calcari addito, licentiùs longè in cœnum deinceps proruerent, & camarinam velut ſtudio moverent; quin eò effrontes devenerant, ut Sanctum ipſum non mordacibus ſolùm, ùt priùs, ſed mordaciſſimis etiam ſalibus perſtringerent. Quare Walericus eos ſecundùm alloquens, veniſſe ſe, ajebat, ad refocillandas aliquantulùm vires, frigúsque nimium à corpuſculo defendendum. Verùm deceptum ſe eſſe, & pro eo, ut per Chriſtianæ charitatis ſibi exhibitæ, ardorem reſpirare liceat, horrendo frigore à Cypriis flammis, quas ſpuerent, ſe concuti. Abeo ego, addidit: Vos etiam atque etiam attendite, ut pondus peccatorum veſtrorum non etiam poſt abitum meum augeatis; Decrevit Divina Nemeſis, illa poſthac non tolerare. Perge, perge, reponebant inhoſpitales hoſpites, nobis non opus eſt homine tam tetrico, qualis es, qui linguis noſtris limites adeò arctos, frœnum tam adductum ponat. Interea ſandalia

dalia de pedibus exolvit Divus, eorúmque pulvere in domum infelicem excuſſo, prout Evangelium monet, celeriter ſe ſubduxit. Verùm vix à limine abièrat, cùm ejus loco infauſtas ædes Divina vindicta ſubiît; Et Curioni quidem cœcitate ſubita oculorum lumen extinctum eſt, Judici verò in ſecretis corporis partibus purulenta & venenata excrevêre ulcera, dolorémque afferebant intolerabilem: ita ut uterque, ſed ſerò nimis, & ſuo damno denique, tum ipſi didicerint tum omnes ſui furfuris locutulejos docuerint, nimis quàm verum eſſe: *Propter peccata labiorum ruina proximat malo.* Prov. 12 13. Modò ſeriùs quidem, modò citiùs, ſemper tamen, & nonnunquam hoc ſolo diſcrimine, quòd ruina, ſi differatur, proximet gravior & duplicata. Illud notandum bene eſt, quòd Sacerdos oculorum amiſſione caſtigatus fuerit, ut ſacris, quæ lingua ſceleſta profanaverat, ineptus fieret; Prætor verò illarum partium, quas impudenter nominaverat, exulceratione & gangræna, quæ conſumptis reliquis carnibus, cor denique invaſit, & miſerum enecuit, pœnâ culpæ examuſſim reſpondente & ſceleri, ùt Apoſtolus definivit: *Sermo eorum,* inquiens, *ùt cancer ſerpit.* 2. *Tim.* 2. 17.

GA-

CAPUT II.

Aſcendit mors per feneſtras noſtras. Jerem. 9. 21.

Damna, quorum cauſa ſunt libri obſcœni, & cantiones laſcivæ.

§. I.

PEr feneſtras, quibus morti aditus panditur, Chryſoſtomus & Ambroſius ſenſus duos hominis præcipuos intelligunt, viſum videlicet & auditum. Et diviné id profectò: Quidqnid enim ferè lethiferum in animam ingreditur, per aures oculóſve admitti, experientiâ conſtat. Ego de ſola illa hîc loquar morte, déque iis duntaxat venenis, quæ in Veneris regno nata, per utrumque hunc ſenſum in mentem ſe inſinuant, ac per oculos maximè, quia graviora ſunt damna, quæ pullulant ex lectione rerum obſcœnarum, ùt quarum ſpecies altiùs longè à lectione impreſſæ, quàm à ſola auditione, graviùs & atrociùs vulnerant; Verùm quî intra arctas paucularum linearum anguſtias damna explicabo librorum, *Quorum*, ùt Tertullianus ait, de Spect. c. 7. *ſumma gratia*, & amœnitas, quæ in illis ineſſe videtur, *omnis de ſpurcitia plurimùm concinnata*

cinnata eſt ; Quorum doctrina virulenta eſt, quorum narrationes, floſculi, lepôres meriſſima peſtis ſunt, librorum, inquam, qui dudum Sanctis Patribus appellantur omnis immunditiæ colluvies, iniquitatis ſentinæ, vitiorum ſeminaria, hami, & mors auro abdita in animarum perniciem ? ut adeò ſapienter non nemo interpres aſſerat, hujusmodi librorum fronti inſcribendum eſſe eum titulum, quem Zacharias Propheta volanti illi ſuo volumini præfixum vidit. c. 5. 3. *Hac eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terra ;* Triſti enim experientia nimis, quàm demonſtratum eſt, non aliunde abominationem & ruinam in orbem proficiſci, & diffundi graviorem, quàm ab illo librorum, quos perſequimur, genere : Ita ut non ſine myſterio pro ly *volumen volans*, Septuaginta legant : *Falx volans*, ſignificaturi, tales libros, cùm falcis volantis adinſtar per juvenum manus ambulant, evertere, & ſuccidere omnia virtutum omnium germina, dum videlicet phantaſiam replent obſcœnis imaginibus, intellectum brutis cogitationibus, memoriam ſordidis objectis, & impuris deſideriis voluntatem, ita, ut anima tota dein ſit non in deſiderandis ſpiritualibus & honeſtis bonis ac deliciis, ſed in voluptatibus ſenſualibus, turpibus, abominandis. Non definio hîc, quando, & quomodo obſcœna lectione peccetur graviter : id ſolùm dico, commune & certum Theologorum omnium

effa-

effatum eſſe, quòd ille peccati mortalis reus jam ſit, qui ſeſe volens, ac ſciens in gravis peccati periculum proximum conjecit: *Qui enim amat periculum, peribit in illo.* Eccl. 3. An verò periculo ſe proximo committere, ſit legere obſcœna, Auguſtinus, propria doctus experientia, oſtendit, quando lectionem obſcœnam flumini comparat amœno illi, ſed præcipiti, & rapaci. Ut enim huic credere ſeſe, perire eſt, ita lectioni non caſtæ ſe dare, eſt in exitium ſe præcipitem agere, quando hæc torrentis ad inſtar ſibi commiſſa, univerſa in abyſſum devolvit, & ad inferos lacus, ad quos velut originem redit. Hinc ſapientiſſimè profectò, & divinè Tridentina Synodus ſanxit: *Reg. 7. Indic.* Ne libri tales unquam legantur. *Libri,* inquit, *qui res laſcivas, ſeu obſcœnas ex profeſſo tractant, narrant, aut docent, cùm non ſolùm Fidei ſed etiam morum, qui hujuſmodi librorum lectione facilè corrumpi ſolent, ratio habenda ſit, omnino prohibentur.* Secuta videlicet eſt primitivæ Eccleſiæ morem, in qua non turpium ſolùm librorum lectione omnibus, juvenibus præſertim, ſeveriſſimè erat interdictum, ſed ſacrorum etiam, qui molliculum quid continebant; adeò, ut Sancto Hieronymo teſte *in Prœm. ad Ezech.* ſuo tempore, niſi quis ætatem Sacerdotalis miniſterii, id eſt, trigeſimum annum impleviſſet, nemo nec principia Geneſeos, nec Canticum Canticorum, nec Ezechie-

lis

lis exordium, & finem legere permitteretur, ea ſolùm de cauſa, quòd de matrimoniis diſſerant illi libri, déque affectibus amatoriis, ac fœminis parúm modeſtis. Ex quo colligi poteſt, quantò magìs debeant eſſe prohibiti illi libri, qui artes amandi docent, qui depingunt furtivos equitum amores, & virginum mentitos raptus prætextatè & latiniſſimè fingunt, quíque, ut ait Lactantius: *Docent adulteria, dum fingunt, & Simulati erudiunt ad vera.* Verùm hîc opponentem ſeſe mihi audio nonneminem, méque imprudentiæ damnantem, ùt qui auſim omnem promiſcuè lectionem obſcœnam ſceleſtam nominare. Ad lectionem ego accedo, inclamat mihi, munitus antidotô, videlicet recta & laudabili utique intentione diſcendi ab Authore, quem volvo, non ſcelera, ſed dictionem caſtigatam, ſtylum elegantem, leporémque orationis; non araneæ ad inſtar me habeo, quæ venenum ex floribus exſugit, ſed apiculam imitor, quæ mel, & Virgilium, qui aurum colligere ſe ajebat ex ſtercore Ennii.

Bellam enimverò excuſationem! quaſi verò picem tractare quis poſſit, & non inquinari, aut in ſpinis ſe volvere, & non pungi? An naribus, mi bone, refertum floribus calathum, in quo noſſes latere ſerpentes, aplicabis, ſpe fretus, fruiturum te quidem ſuaviſſimo floſculorum odore, veneno verò læſum non iri? & tamen priùs erit innoxius ille ſerpens, priùs effera-

efferatiſſima vipera, quàm latens in libro Venus. Antè, mihi crede, vel ſaltem eodem negotio malum & errores tua condiſcet voluntas, quo elegantias intellectus: Nam ſunt hæ potentiæ arctiſſimo nexu, inter ſe colligatæ, & quidquid una ùt delicioſum proponet, altera ùt delicioſum complectetur, quódque in theoria primùm & ſpeculatione mentis noveras, ſenſuum praxi ipſa paulò pòſt perficies. Sed ut aliquid tamen tibi dem, quære, per me licet, orationis lepôres, latii floſculos collige, & enuntiationis flumen tibi compara. Ut quid autem hunc in finem ſentinas, cloacas, paludes adis, cùm limpidiſſimis ex fontibus haurire liceat? ùt quid latinitatis principes in omni materia heroica, morali & ſancta emendatiſſimè etiam noſtro ævo ſcribentes negligis? Venùm redeamus eò, unde defleximus. Cardinalis Pallavicinus libros, Venerem olentes, cubilia nidósque viperarum appellat, floribus tecta, ita ut nil horridi in iisdem, nil noxii, nil mortiferi appareat. Quisquis in hujusmodi incidit, oculos quamprimum avertat, manúmque retrahat, neceſſe eſt: Immorari enim, atque ſeſe detinere in lectione, & datâ operâ velle immedicabili veneno infici, idem ſunt. *Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo?* interrogat Eccleſiaſticus c. 12. 13. Ac ſi dicere vellet, quemadmodum miſellus quiſpiam hortulanus, dum areolas excolit, loliáque eradicat ſedulus,

dulus, mordeatur fortè ab latente in herbis angue, illius nemo non miſeretur, & quivis pharmacis, emplaſtríſque ſubvenire paratus eſt; At verò ſi temerarius quis de Agyrtharum gente viperas manibus palpare, & blandè labris, oculis, pectori admovere ſolitus, ab earum aliqua mordeatur, non miſerationem, non opem meretur, ſed riſum; ita omnino commiſeratione & auxilio dignus quidem eſt, qui caſu aut neceſſitate in laſcivum incidit folium ejúſque veneno afflatur, indigniſſimus ex adverſo, qui ſua ſponte, ac mera ex lubentia in narrationum, fabellarúmque impurarum volutatione frequens eſt, & de induſtria in ſuum exitium venenatiſſimas viperas irritat, ac provocat. Audiamus quid de hac re ſapientiſſimi ſimul & pientiſſimi Cardinales Baronius & Bellarminus ſenſerint. Uterque poſtquam ſemel tantùm, & quidem contra morem ſuum auſterè ſatìs Poëtam nonneminem Italum, cujus nomini parcitur, allocuti fuerant, firmiter ſtatuerunt, illum deinceps ad ſe non admittere, eò quòd ſcripſiſſet, ac in lucem ediddiſſet laſcivos quosdam verſus. Apage mihi hanc minimè fictam Circen, inquiebat unus, quæ cantionibus, ſeu potiùs incantationibus ſuis tantum hominum numerum in fœdas beſtias deformavit. Alter verò nihil ſe negotii habere velle aſſerebat cum hoc novo Luthero, qui vix non tantum detrimentum bonis moribus attulerit, quantum alter Islebicus veritati

& fidei; & ſenſit uterque omnino ex Patrum Tridentinorum mente, à quibus hoc genus libri peſtis & corruptela reipublicæ appellati ſunt, incautas fidelium mentes occulto veneno inficientes. Imò ipſius Numinis è ſententia locuti videbantur; quantùm enim ipſe lutulentas poëtaſtri hujus odas averſatus ſit, vel ex eo colliges, quòd permiſerit, ut ab utraque hominis illius filia turpia patris verba per facta turpiora ſuperarentur, & ipſo pudore proſtituto, paterna domus ex Parnaſſo in publicum proſtibulum, omníſque laſciviæ theatrum verteretur.

§. II.

ÆQuè noxiæ ſunt cantiones obſcœnæ, *diabolica cantica* à Chryſoſtomo appellatæ. Multi certè, qui variarum tentationum aſſultus forti conſtantíque animo priùs eliſerant, uni ſæpe pellaci odæ dein manus dedêre. Auguſtinum hujus rei teſtem habeo, qui dolenter gemit Alipium ſuum, modeſtiſſimum illum Juvenem, poſtquam oculos ita in poteſtatem redegerat, ut ad vana, curioſa, lubrica obtuenda nunquam porro excurrerent, tantùm à ſeipſo impetrare non potuiſſe, ut aures quoque cantanti Veneri oppilaret. *Ille clauſis*, conqueritur Sanctus Pater *Conf. 6. c. 6.* *Finibus oculorum interdixit animo, ne in mala procederet. Utinam & aures obturâſſet!* Auguſtino Salomonem addo. Princeps hic

prodi-

prodigium olim ſanctitatis & ſapientiæ, quamprimum in aulam ſuam cantores & cantatrices, aliáſque conſimiles humani cordis illecebras admiſit, ùt ipſe fatetur: *Feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum.* Eccl. 2. 8. Admiſſo mox freno in voluptates præceps irruit, nullúmque deliciarum genus, utut pudendum & obſcœnum, cordi ſuo negavit, ùt fateri ipſus pergit: *Nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* Tantum nempe virium effœminatis & laſcivis cantiunculis eſt, ut ſapientiſſimum etiam corrumperent, emollirent, eóque pertraherent, ut vera Religione, veróque DEO neglecto, idolis thus per ſummum ſcelus adoleret. Sed quid alienos ego & extraneos teſtes rogo? vos, vos ipſos compello (quod olim Chryſoſtomus fecit) vos, inquam, qui aures aliquando Venereis modulis aut olim commodâſtis, aut commodatis etiamnum, experientiam conſulite, & ſinceris oculis remotô palpô, videte, quantùm commoveri, quàm ſenſualiter affici ſoleatis, quàm ſtolidis, quàm ſordidis formis phantaſia veſtra oppleatur; *Temetipſum diligenter examina, qualis efficiaris, cùm audis diabolicam cantilenam*, & invenietis, quòd laſciva cantantis vox eo negotio, quo per aures illabitur, & intellectui tenebras offundat ſpiſſiſſimas, & atrociſſimo vulnere cor, & voluntatem ſauciet. Si verò tot damna proveniunt audientibus duntaxat has aurium illece-

bras : Quot & quàm multò majora progignentur illis, qui nunquam non amant ipſi ore verſare dulce hoc venenum, quo animi vigor emollitur ? Credísne, poterit cor honeſtatis amans, ſub talium pectore latere ? aut putas, in ipſis ſolis fallere vetus illud, ſed nimis quàm certum verbum, quo dicitur, cantiones has aut effectus aut ſigna eſſe impuri cordis ? Aut denique ii duntaxat ex multis illis non erunt, quibus, ùt Poëta canit :

Pro lena vox ſua ſæpe fuit ?

Multùm ad propoſitum noſtrum facit Homilia 6. Sancti Valeriani Cæmelienſis, cujus partem ipſius verbis hîc exſcribo. Sic loquitur : *Ibi,* (in laſcivis odis) *ſunt laquei, quibus famulantibus, inter cætera vulnera diabolus mortem hominis operatur. Nam quotiescunque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus invitatur aſpectus. Nemo inſidioſis cantibus cedat, nec ad illa libidinoſa vocis incitamenta reſpiciat, quæ cùm oblectant, ſæviunt, cùm blandiuntur, occidunt. Sic ſtupentes videmus blandis ſibilis aves decipi, & hebetes feras in laqueum mortis dulcedine vocis compelli Similis eſt, dilectiſſimi, cauſa mortalium, quos dulciſoni cantus cura ſolicitat : in hoc autem proficiunt varietates vocum, & producta ſine ſyllabis verba, ut homo aut capiatur, aut capiat. Explicari, dilectiſſimi, non poteſt, quàm periculoſos laqueos exhibeant mimica ſtudia voluptatis. Nam ſi aliquis*

quis poſſet humani cordis ſecreta perſpicere, inveniret ad ſingulos ſonos fiſtulæ corda infelicium ſuſpirare. - - - Refugiendus eſt ergo, ut error, iſte vocis ſonus, qui humanis pectoribus dulcedine ſua amaritudinem facit, & perſuaſione quadam melliflui cantûs frequenter mortifera ægris venena commiſcet. Hactenus Sanctus hic Epiſcopus, cum quo poſtquam cantionum turpium damna luculenter ſatis explicui, medium illis vitandis idoneum ſubjiciam cum S. Ambroſio, qui, Ulyſſis prudentiam ut imitemur, ſuadet. Heros hic, cùm Ithacam patriúmque regnum navigatione repeteret, ventorum vi ad Sirenum oras fuerat delatus, & ad ipſa mortis confinia, à monſtris illis inferendæ. Exhorruit aliquantùm Ulyſſes, non tamen ſibi omnino defuit; memor enim dulce hoc malum ſingulari arte vincendum eſſe, aures cerâ obturavit, & evaſit, periturus utique, *niſi adversùs illecebroſæ ſonitus cantilenæ, infertâ ſociorum aures cerâ, clauſiſſet;* ut dictus Mediolanenſium Præſul *in Proœm. ad Evang. S. Luc.* notavit. Hac omnino induſtria homini ſapienti & ſalutis ſtudioſo, dum hoc vitæ æquor enavigat, eſt utendum. Oppilandæ ipſi ſunt aures, & ipſum adeò os adversùm impias has aurium, de quibus loquimur, illecebras; ne videlicet his modulis incantetur illius mens, eo modo, quo aliàs incauti à ſagis, ſolis etiam verbis faſcinantur. Aliter facere, eſt exponere ſe mani-

feſto perdendæ innocentiæ animæque periculo. Nimis enim quàm manifeſtè perpetuâ experientiâ conſtat, animos ſæpe multis etiam adversùs ſalutis hoſtes relatis triumphis nobiliſſimos, hac una peſte everſos, manus dediſſe dulci huic magiæ, quam S. Leo *Inſidioſos ſonos vocat mollibus ictibus pulſantes auditum, ut animæ ſoliditas illecebroſa modulatione ſolvatur, & lethalium conſuetudine ſuavitatum incauta corda capiantur.*

§. III.
EXEMPLA.

ETſi mus Ponticus nivei velleris ſui adeò ſtudioſus eſt, ut mori, quàm vel pedem in loco non omnino mundo ponere malit, magìs tamen, ſi magna parvis velimus componere, Regina Virginum horret locum ingredi, ubi vel pulviſculus ſuo illibato candori oppoſitus, hæret. Expertus id eſt Cyriacus Abbas, vitâ ad Jordanis ripas ſanctiſſimè actâ celebris. Videbatur Sancto ſeni per myſterioſum aliquando ſomnium Deipara ædiculæ ſuæ propinquare, Divo Joanne Baptiſta & Evangeliſta comitibus ſtipata. Huic obvium prodire ſe putabat è tuguriolo ſuo, ut demiſsè, quàm poſſe, gratiarum Matri ſupplicaret, dignaretur Illa ad ſervulum omnino inviſere, ſuáque præſentiâ pauperrimam ſuam cellulam illuſtrare. Verùm ſevero ſupercilio (ſic ſanctior ipſi Morpheus pingebat omnia) reſponderi

deri

deri ſibi ab illa audivit, eſſe inibi, quod ingredi etiam volentem prohibeat. Quid? ajebat, juratum honoris & virginitatis meæ hoſtem ſub tecto tuo morari permittis, & petere audes, ut pedem ibi figam? nec intra verba res ſtetit. Tergum illa, his dictîs, Cyriaco obvertit, & porrò vias ſuas ire perrexit, tum quidem inexorabilis. Dictu haud facile eſt, quantùm hac re bonus vir ſit turbatus. Cùm è ſomno evigilavit; paulò pòſt cœpit rationes ſuas ſeriò in picere, an non fortè noxam aliquam adversùs Gratiarum Dominam contraxiſſet: ſed fruſtra; poſt diuturnam enim ac ſedulam conſcientiæ excuſſionem nil reperit, quo offendi Illa potuiſſet; Nihil, quo è cella aut mente ejecto, reditum dilectiſſimæ ſuæ Matris ſibi promitteret. Quare ut levaret ſaltem, quem proſternere omnino non poterat, conceptum dolorem, ad lectionem ſacram adjecit animum, & volumen arripit, quod commodatò acceperat ab Heſichio Jeroſolymitano Sacerdote. Et en! dum volvit illud diligentiùs, in binos tractatus incidit ab impio Neſtorio multa impiè contra puriſſimam Virginem dicta continentes. Gaviſus enimvero fuit hac inventione Cyriacus, facilè ſibi perſuadens, hunc eſſe Virginis hoſtem, hócque exeſſe juſſo, tum verò ſibi reditum Illius ſperari poſſe. Nullâ ergo morâ ad Heſichium librum retulit, opus ſibi jam non eſſe dictitans opere, à quo haud paulò plus damni, quàm

commodi retuliſſet. Erat Heſichius & ipſe probitatis & Virginis cultor in paucis egregius,& Cyriacum tenera charitate complectebatur. Quare quæ illa damna eſſent, percunctatus, vix bene Virginis indignationem, & auſterum obtutum, & inclementem propè diſceſſum perceperat,cùm ſancto zelo inflammatus: Abſit à me,exclamavit,ut ego illum,quem Virgo odit, contubernalem velim, & cellulæ meæ mecum incolam. Ardeat, ardeat priùs infelix, quàm Mater mea juſtis iris in me exardeſcat,hæcque inquiens,utrumque infamem Neſtorii partum in flammas excuſſit. Quid ad hæc curioſi? Si divinæ Matris indignationem ſanè gravem incurrit, qui non legit, non diurna, nocturnáque manu verſavit, ſed inſcius in forulis ſuis librum obſcœnū eſt paſſus, quid aliis fiet? Quid vobis,qui data opera hæc Venerum compendia, has obſcœnitatum omnium ſentinas conquiritis, volvitis ſeduli & revolvitis, illíſque unicè delectamini? fiet nempe,quod Religioſo nonnemini, qui lectione poëſis non ſatìs caſtæ, non Virginem ſolùm à ſe, quod unum damnum immenſum utique foret, ſed cuſtodem etiam genium excluſit, peſſimè deinceps à tutore alio cuſtodiendus, qui quis ſit facilè ex contrario colligetis. Quemadmodum enim Virginum Virgo obſcœnorum voluminum amatores, & detentores odit, fugítque, ita eosdem orcus amat, ſtipat, & ùt populos ſuos induſtriè ſanè

cuſtodit. Et quod illos quidem attinet libros, qui non obſcœna tantùm, ſed ad modulos etiam obſcœna comprehendunt, ſunt certi dæmones à tenebrarum Principe conſtituti, qui illis proferendis, & propagandis ſtudeant. *Sunt quidam dæmones*, ùt Hieronymus aſſerit *in c. 6. ad Epheſ. amatoriis cantionibus ſervientes*, quorum nempe eſt pro officio merocheros vel capellæ magiſtros, ùt vulgò ajunt, agere & choro ſceleſto præeſſè. Exemplo rem demonſtro; quod Mendoza refert; Objecerat DEUS cuidam ſervo ſuo intuendas inferni ſedes, & damnatorum pœnas eo ipſo tempore, quo ingens dæmonum turba cantorem improbum in abyſſum illam præcipitabat. Circumdederant tortores Stygii collo infelicis collare è ferro ignito fabrefactum, compoſitúmque in ignito lecto, poſtquam calicem liquefacto ſulphure plenum propinaverant, ad cantandum invitârunt, ſpe fretos ſe jactitantes, non ægrè utique novi hoſpitii honoribus gratæ vocis illecebras impenſurum, qui vivens tantopere laſcivis cantionibus delectatus fuiſſet: Verùm noluit ille, fauces igne nimis exſiccatas, aridáſque excuſans, & gemitibus duntaxat, querelíſque aptas. Geme igitur, lamentare, ejula, quantùm potes, replicârunt dæmones; ſive lætum cantes, ſive triſtè ulules, perinde eſt. Omnino tibi ſilere fas non eſt, niſi his (varios tormentorum modós exhibebant) canorus fieri cupias.

Exhorruit miſer ad tam funeſtum ſpectaculum, & qui, dum vixit, magiſtri orci toties juſſa volens fecerat, vel invitus petentibus hîc morem gerens, protinus: Maledicta ſit hora, ejulare cœpit, quæ naſci me vidit; Maledicti parentes, à quibus vitam accepi; Maledicti ſocii, qui me ſeduxerunt; Maledicti cantus, quibus me, alióſque ad voluptatem incitavi. Reddiderúntque hoc ipſum inſuave melos multiplicato fœnore tartareæ ſpecus. En Muſica! in quam deſinunt laſcivi per hanc vitam amati moduli, Muſica lugubris, & abſurda, Muſica, vel ab illis, qui miſerabili huic choro præſunt, deteſtanda, & velîs remíſque fugienda. Card. Baron. Anno Chriſti 429. Joſ. Manſi Tom. 2. Verb. Infern. Diſc. 12.

CAPUT III.

Propter peccata labiorum ruina proximat malo. Prov. 12. 13.

Graves pœnæ, quibus obſcœna Lingua caſtigatur.

§. I.

SAlvator Mundi in ſuo Evangelio nullius ad æternas flammas damnati ſingillatim meminit, quàm divitis illius & ſceleſti Epulo-

Epulonis. Neque id ſine myſterio & ſine Sapientiſſimo, noſtris conſiliis imprimis idoneo. Etſi enim nonnulli credent, ideo duntaxat illum fuiſſe ab Incarnata Sapientia patheticè deſcriptum, ut intelligant homines, quantùm ſympoſia, convivia, aliáque gulæ irritamenta ſaluti noceant, ùt quæ miſerum illum convivatorem in tantam ſitim famémque conjecerint; eo tamen fine narrationem illam Chriſtus non inſtituit, ſed, Sancto Gregorio Papa teſte, ut demonſtratum deinceps omnibus foret, quantùm lingua impudens, obſcœna, Venerea caſtigetur. Hinc enim Servator linguæ potiſſimùm meminit, cui infelix pro tantillo in flammis illis intenſiſſimis refrigerio vel aquæ guttulam rogabat: *Ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Luc. 16. 24. En tibi! ipſa Sancti Doctoris verba: *Niſi gula deditos*, inquit, *immoderata loquacitas raperet, dives ille, qui epulatus quotidie dicitur ſplendidè, in lingua graviùs non arderet. P. 3. Paſt. Admon 20.* Neque Sancti hujus Pontificis ea duntaxat eſt ſententia. Gloſſa interlinearis etiam ad verba citata aſſerit, ideo Epulonem illum in inferno ſepultum fuiſſe, *quia, ſicut mos eſt inter convivia, loquacitati ſtuduit.* Nec verò magnopere mirandum eſt, divitem illum tam ſeveras linguæ ſuæ pœnas luere, ut reliquæ, quas patitur graviſſimas, his linguæ ſuppliciis comparatæ, nil quaſi eſſe, & ne mentionem quidem me-

reri Chriſto viſæ fuerint. Non ſolet enim DEUS in loquacitatis impuræ peccato puniendo, miſericordiæ ſuæ aliquid dare, ùt in quo nihil eſt, quod miſerationem aliquam mereatur, quódque ne minimam quidem partem etiam per humanam fragilitatem poſſit excuſari. Nam tales in obſcœniſſimos ſermones effunduntur, quin ullum bonum, ullum commodum, quod ſperari poſſit, illos alliciat. Non eſt ibi utilitatis alicujus aureæ, qua avari aliàs capiuntur, occaſio, quod enim lucrum, præter inferos, ex hujuscemodi oratione unquam quis traxit? non offeruntur cupediæ, bellaria, & omnis generis palati incantamenta, quibus guloſi ineſcantur: Lingua enim immunda immunditias meras volvit, & vel cerbero nauſeandos bolos. Non denique honorum faſtigia, quibus dum inhiant ambitioſi, miſerè præcipites eunt, infamibus his gerronibus promittuntur. Loqui, enim ſordida vulgo etiam infame eſt, & ſcurrilitas non dignitatum candidatis, ſed lixis & calonibus, ſed mediaſtinis, & ne his quidem, convenire exiſtimatur. Súntque ſcandaloſi hi blaterones ſerpentibus conſimiles, qui à DEO & hominibus ſunt maledicti eo ſolùm ex capite, quòd aliis paſſim ſuum toxicum infundant, non ut ſibi inde emolumentum aliquod procurent, ſed, quæ maligna eſt eorum indoles, ut aliis noceant. Quomodo igitur DEUS miſereri illorum poſſit,

quomo-

quomodo non pœnas ab illis exigere tantas, quantas omnis Juſtitiæ rigor expoſcit, ſi offendunt ipſum non delectationis, non emolumenti, ſed ſolius linguæ prurientis ſtimulis incitati? ſi enim ſtrages, cædes, everſiones minitatus eſt illis, qui lege pro pugillo hordei & panis fragmine violata animas interfecerant, quibus ipſe ſpiraculum vitæ inſufflaverat, prout per Ezechielem *c. 13. 19.* queritur: *Violabant me propter pugillum hordei & fragmen panis, ut interficerent animas.* Qua, quæſo, ſeveritate in Locutulejos illos erit, qui ob rem haud paulò viliorem, ob rem nihili, ob rem ſtultiſſimam, verbîs impurîs, & laſcivîs ſermonibûs, dum nullam habent præſentium audientiúmque rationem, ſcandalum præbent innocentibus, venenóque impietatis latè diffuſo, innumeras animas ſudore, ſanguine, vita DEI ipſius redemptas inficiunt, & ſecum in miſeriarum omnium abyſſum præcipites trahunt? Verùm quid ob rem nihili infames hos blaterones tantis ſeſe ipſos, alióſque malis involvere contendo? non eſt res nihili, ſi Prophetæ regio fidem habemus, quod agunt, ſed labor eſt, ſed contentio eſt, & niſus, & fatigatio. Nam nonnunquam ingenium omne ab inſanis his conatu improbo excutitur, ut inveniant nempe ſtercori, quod loqui meditantur, Salem & pigmentum, quo comptiùs appareat, & tanquam argutè dictum in audientium mentes deſcendat pro-

fundiùs. Quamquam dein hoc ipſo ex capite graviùs puniri mereantur, & ſuppliciis affici longè, quàm ſcelerati alii, atrocioribus: *Labor*, inquit Propheta, *labiorum ipſorum operiet eos: Cadent ſuper eos carbones: in miſeriis non ſubſiſtent.* Pſal. 139. 11. Sed, ùt commentatur Card. Bellarminus: De malis in mala, de peccatis gravibus in graviora proruent, donec *in limo profundi* hæreant, extremíſque miſeriis abſorbeantur. Neque nimium dixiſſe putes doctiſſimum hunc Virum. Ipſe enim Propheta adeò criminis hujus fœditate commotus fuerat, ut, cùm peccatis aliis judicem vindicémque DEUM metueret, metuendúmque eſſe frequens occineret, huic ſoli tanquam graviſſimorum ſuppliciorum notoriè reo eundem intentaret ac minaretur, imò provocaret etiam ad vindictam. *Sepulchrum*, inquit, *patens eſt guttur eorum: Linguis ſuis dolosè agebant: Judica illos DEUS.* Pſalm. 5. 11. Bene hæc verba perpendite, quicunque Venerem loqui amatis. Repetit enim eadem in Horis Canonicis continuò Eccleſia per ſuorum Sacerdotum ora; & cavendum vobis eſt, atque metuendum, ne DEUS, qui aliàs jam obſcœnas linguas odit, & in eorum ſupplicia pronus eſt, precibus ſervorum ſuorum toties repetitis, incitatus, improviſa vos fulminet damnationis ſententia, ut gravi damno ſcandalóque, quod innumeris præbetis, deinceps cautum ſit.

§. II.

§. II.

EXiſtimat Sanctus Thomas, quòd in illis membris Beatorum, illíſque Senſibus, qui præ aliis aut paſſione, aut actione Divinam gloriam promoverunt, *quidam ſpecialis decor apparebit, 3. p. q. 54. a. 4.* Atque id manifeſtum eſt in Lingua D. Antonii Patavini, adeò Divinis laudibus, dum viveret hic Sanctus, promulgandis aſſueta. Hæc enim, ut incorruptibilitatis dote inſigniretur, non opus habuit, ut corporis ad Cœlos aſſumptionem expectaret, ſed à morte jam Sancti, cùm reliqua membra in nativum pulverem redirent, ea illæſa, integra, mollis, & rubens perſtitiſſe deprehenſa jam olim eſt, & etiamnum deprehenditur. Idem ſuo modo membris ſenſibúsque damnatorum in inferno evenit. Hinc illi ſenſus, illíque artus, quorum abuſu maximè offenſus eſt DEUS, maximè etiam & præ aliis cruciabuntur. Hinc linguæ, obſcœnarum confabulationum miniſtræ, plus quàm alia membra tormentorum ſubibunt. Potabuntur venenato felle, quod DEUS minatur: *Potum dabo eis aquam fellis.* Jerem. 6. 15. Urentur liquefactis metallis, lacerabuntur à furioſis vermibus. Neque rara ſunt exempla eorum, qui etiamnum in hac vita veritatem hanc, graviſſimè puniti, ſuóque damnô experti demonſtrârunt. Obſcœno hujusmodi blateroni lingua omnis ita putruit, ut ſpueret

vermes, ſpiraret vermes, loqueretur vermes, fontémque hunc vermiũ obturare non poſſet, dum conſumptîs faucibûs, & linguâ, unà cum ingenti purulentæ ſaniei copia animam ipſam excrearet. Nonnemini delapſa ex lacunari informis, venenóque monſtrosùm turgens aranea in fauces ſceleſtas ſe conjecit, ac in viſcera penetrans, non desîit, donec corruptis inteſtinis vitam expelleret. Alius denique, qui dum viveret, linguam ſuam dæmoni per verba obſcœna, confabulationésque impuriſſimas ſacraverat, fatîs jam functus, ore quidem horrendùm divaricato ſed elingui repertus eſt, argumento, ſtygem unà cum miſeri anima linguam etiam mox à morte ſibi vendicâſſe lectiſſimis tormentis ſtudiosè excarnificandam. Sed plena ſunt horum eventuum monumenta hiſtorica, & jam ſuprà aliqua, quæ huc faciunt, ſunt relata.

Præter hæc, quemadmodum, ùt exiſtimant Doctores, Beatorum gloria accidentalis, quæ ex proximorum ad virtutem promotione reſultat, non tum confeſtim ſtabilem ſuum, certúmque aquirit gradum aut terminum, cùm beata cœli limina primùm ſubeunt, ſed creſcet indies, quamdiu nempe homines, illorum, dum viverent, doctrinis, exemplíſque excitati, in virtutum exercitio pergent; Ita credi debet, quòd pœna accidentalis eorum damnatorum, qui ſuis verbis, aut ſermonibus alios ad libidinẽ incitârunt, atque occaſionem

ſaltem

ſaltem ſpirituali horum ruinæ præbuerunt ad certam intenſionem tunc non perveniat, cùm in Tartara primùm detruduntur. Sed augeſcat ſemper, quamdiu illi juvenculi, juvenculæque ab eisdem ſeductæ, per obſcœnos vomitus ad illa principia vitam exigent, quæ ab his iniquitatis doctoribus malè dociles condidicerunt. Et hæc, ùt Interpretes notant, fuit præcipuarum rationum præcipua, ob quam dives ille Epulo, de quo priùs eſt dictum, ferventer adeò ſupplicaret, ut ad ſuos ablegaretur quispiam, qui & ſuas (Epulonis) miſerias illis exponeret, & fratres obteſtaretur, ut ab impuris confabulationibus deſiſterent. ***Rogo*** ajebat, ***ut mittas in domum patris mei, ut teſtificetur illis.*** Luc. 16. 27. Tantum tormenta mea creſcere, & augeri, quantum illi, quos turpiter ſeduxi, perverſum meum ſecuti exemplum, & verbis pergent peccare, & factis. ô! ut hoc intelligerent bene, ac ſeriò maturéque ſecum penſitarent effrontes, impudicíque blaterones! quantùm juſtus in illis timor, quantùm ſalubris conſcientiæ remorſus augeretur, ſi conſiderarent, quòd præter pœnam pro delictis propriis, quam mox à fulminata in ſe damnationis ſententia toto pondere ſibi incumbentem, perſentiſcent, aliam inſuper aliámque ſint exantlaturi, accidentalem quidem illam ſed graviſſimam próque alienis peccatis, quorum ipſi cauſa fuerunt, æternùm luendam, & novis ſemper ac novis incrementis augendam.

De

De damnatorum ſuppliciis, quorum Prophetæ ac Evangelia meminerunt, magna pars illa membra attinet, quæ velut inſtrumenta ad effingendam humanam vocem, proferendáque per articulatas voces animi ſenſa uſurpantur. Talia ſunt uſtulatio linguæ, ſtridor dentium, palati amaritudo, & labiorum moleſta æquè, ac crudelis per continuas morſicationes dilaniatio. Nullo enim corporis totius membro peccatur frequentiùs, nullo nocentiùs, nullo ſtultiùs. Aget nempe cum damnatis, quod cum energumenis, dæmon; & quemadmodum in his artuum omnium lubentiùs nullum occupat, quàm linguam, quia Chryſoſtomo teſte: *Nullum illi æquè congruum organum eſt, ac lingua in miniſterium peccati & interitus.* Hom. ad bapt. Ita in damnatis nihil excruciabit ſtudioſiùs, nihil cum majori voluptate torquebit, quàm linguam. Atque hinc Eccleſiaſticus ſeriò adeò, & paternè nos admonet, ut ſolicitè hoſtium infernalium in linguæ peccata impellere nos diu noctúque ſtudentium fraudes caveamus. *Verbis tuis facito ſtateram*, inquit, *& frenos ori tuo rectos; & attende, ne fortè labaris in lingua, & cadas in conſpectu inimicorum inſidiantium tibi. c. 28. 30* Nimiùm enim hoſtium verſutiſſimorum doli perſpecti ipſi erant, nimiùm innata cuivis in ſcelera quævis, oris maximè, proclivitas, nimiùm ingens neceſſitas perpetuæ contra tot fraudes vigilantiæ,

adeò,

adeò, ut, licèt omnem ſapientiam ſuo cordi cœlitus infuſam non ignoraret, à cæcis tamen, & occultis hoc in negotio pedicis, laqueíſque ſibi metuens, perpetuò ſupplicaret: *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, ut non cadam in ipſis & lingua mea non me perdat? c. 22. 33.*

§. III.
EXEMPLUM.

POëtarum commentum erat, impuriſſimum Tityi cor, poſtquam ad inferos deturbatus is fuerat, in obſcœnitatum pœnam, continuis vulturis cujusdam morſibus laniatum fuiſſe, ita tamen, ut quantumcunque ille devorâſſet, tantundem mox renaſceretur. Audi Virgilium, eleganter hæc Supplicia deſcribentem: *6. Æn.*

- - - - Roſtróque immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens, fœcundáque pœnis
Viſcera, rimatúrque epulis, habitátque ſub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

Sed mittamus fabulas. Dantur veri apud non fictos inferos Tityi, quorum, ſi non corda, at linguæ certè, olim peccatorum venenum per ſceleſtas voces omnibus illinere aſſuetæ, & alienam innocentiam quot verbis, tot mortiferis morſibus lacerare, non mitiùs, quàm Tityi pectus excarnificantur. Ho um unus

ſubi-

ſubita morte è vivis abreptus, Sacra Homologeſi animum expiare non potuerat. Indignum nempe erat ſceleſtum os Divina gratia, qua aſpirante, licuiſſet cum veneno peccatorum ejecto, æternæ quoque mortis certiſſima ſemina ejicere, eò quòd per tot annos toxico ſuo tot innocentes infecerat animas, orcóque tranſcripſerat. Hic talis poſt mortem (permittente id DEO pro aliorum hujus furfuris linguarum bono, & ſalubri terrore, ac doctrina) cuidam, ſuo quondam amico, ſpectandum ſe præbuit, imò non ſe tantùm, ſed omnem etiam carnificinæ illius, per quam ſermonum ſuorum pœnas luebat, utique horrendam faciem.

Lingua illi erat ab intenſiſſimo igne omnino penetrata, & candens, itáque prolixa, ut eam velut Elephanti proboſcidem per pavimentum traheret, ingenti utique dolore, ſed qui alio identidem per intervalla augeretur. Non enim ſemper illam ultra labia projectam, oſtentabat; ſed reſorbebat eam perſæpe, atque cùm intra dentes retractam, furioſis morſibus fruſtatim laniâſſet, tum demum cum nauſea evomebat. Neque hîc etiam malorum finis. Vix enim totam expuerat, cùm ecce! velut Tityo ſuum jecur, renaſcebatur illa miſero, & in accenſis faucibus germinabat, ut eſſet, quo! de novo lacerare infelix, & reſorbere, & ſputare poſſet. Supplicio hoc aliquammultis vicibus repetito, & cum horro-

re

re ſpectato, ſiſcitatus tandem eſt amicus, cui apparuerat, ùt quid ita in ſuam linguam ſæviret? Cui ille: Quoniam, reſpondit, dum vixi, per hoc membrum maledictum omnes perſequebar, idcirco ab hoc tormento in perpetuum non liberabor. Pridem enim per ſapientiſſimi Regis os innotuit, & quod credere per vitam nolui, meo prô! damno nunc experior: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Sap. 11. 17.* Ita ille. Et hinc credi prudenter poteſt, linguam illius arſiſſe quidem horrendis illis flammis ob ſermones impuros, quibus ea fuerat delectata, morſibus verò caninis laceratam fuiſſe in pœnam mordacium dicteriorum, quibus dum viveret, alios paſſim traduxerat,

O! quàm verum eſſe oſtendit hic miſer illud, quod dilectus Chriſti Diſcipulus in Apocalypſi recenſuit: *Commanducaverunt linguas ſuas præ dolore. c. 16. 10.* Quàm certum eſſe monſtravit veros in inferis non deficere Tityos, qui immanium vulturum vicem ſibi ipſis obeant, & velut dum viverent, putrida amabant cadavera, in carne & ſanguine ſe volutantes, ita poſt fata in ſe ipſos ſæviant, & immunditiis paſci jam aſſueti, ſeſe ipſos, hoc eſt, omnium turpitudinum ſentinas depaſcantur. *Henricus Grangermannus Magn. Spec. diſt. 9. Ex. 58. & alii ibidem citati.*

CA-

CAPUT IV.

Probibe linguam tuam à malo. Pſal. 34. 14.

Antidota contra verba obſcœna.

§. I.

NOti nominis Judæus, Rabbi Jeuda dictus, in principe Solymitanæ urbis foro aliquando elata voce proclamaverat, domi & ad manus ſibi eſſe, elixirium vitæ, ſeu aurum potabile, quod reſtaurando virium vigori, & prolongandæ mortalium vitæ multùm conduceret. Vix optatiſſimæ rei notitia ad incolarum aures pervenerat, cùm dici vix poteſt, quanta emptorum multitudo ad ipſius ædes confluxerit, comparatura quovis etiam pretio liquorem illum, vitámque productiorem. Verùm dum expectant ſinguli, dum, aliqui præ moræ impatientia penè rumpuntur, dum quisque, ne præventus ab aliis, vacuus domum redire, & ſpe deluſus, cogeretur, januæ adhucdum obſeratæ proximus eſſe ſtudet, ſubitò Jeuda fores pandit, & Sacrum Codicem, pulpito impoſitum, illis monſtrat, ac poſtquam juſſiſſet, ut verſiculum trigeſimum tertium ex Salomone legerent: *Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam*

guam tuam à malo, & labia tua non loquantur dolum. Subjungit: En vobis! cives mei, aurum potabile, vitæ diuturnæ, rectæque ſemper valetudini omnino conducens, prohibete linguas veſtras à malo, & cavete, ne labia veſtra unquam malum aliquid & ſceleſtum effundant.

Eximium profectò antidotum & ad evitandas graves miſerias, ad excutiendas ingentes anguſtias utiliſſimum, antidotum inquam, quod non ſolùm mortem diu à te defendet, ſed, ùt Sapiens *Prov. 21. 23.* aſſerit, omnia omnis generis mala; *Qui cuſtodit linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam;* vel, ùt alii legunt, *à preſſuris, à torturis.* Nam quantorum ſæpe ſcrupulorum cauſa ſunt impudicæ linguæ lapſus hominibus timoratæ conſcientiæ? quanta illis calamitas eſt, dubitare ſaltem, an non graviter peccaverint loquendo turpiuſcula? an non in ſe ipſis hoc verborum flabro impuras flammas, & delectationes irritaverint, an non aliis ſcandalum præbuerint? Illis verò, qui licentiùs vitam exegêre, quibus dum valerent, camelos glutire mos erat, illis inquam, quos non remorſus ciebunt, quibus aculeis configent obſcœni ſermones, cùm in vitæ æternitatíſque limine ſtabunt? quantis prementur anguſtiis, quantùm ſeverum trepidabunt Judicem, cui per fidem ſciunt rationem eſſe exactè reddendam *de omni verbo otioſo*, & exactiſſimè utique, ac ſeveriſſimè de omni criminoſo. Ut

Ut igitur aliquam æternæ ſalutis ſecuritatem tibi compares, maximo ſanè ſtudio linguæ tuæ adeò volubili, adeò prurienti, à te invigilandum eſt. Quisquis enim linguæ ſuæ frenum ponere neſcit, ab eadem cor ſuum ſeduci permittit. Multùm profectò ille fallitur, ſi verum Chriſti fidelem ſe eſſe exiſtimet, credátve, tanquam æterni Regis ſectatori Cœleſtem regiam ſibi unquam adeundam. Ait hoc planiſſimè Jacobus Apoſtolus *c. 1. 26. Si quis putat*, inquiens, *ſe Religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt Religio.* Et verò, quî fidem ſinceram, quî animæ ſalutíſque germanam curam habere poſſit ille, qui toties ore venenum verſat, obſcœnos, inquam, ſermones? qui deglutit etiam, & ad cor trajicit? an fortè non credit Apoſtolo talis, quòd *corrumpant mores bonos colloquia prava?* Verùm nimis quàm certum eſt, quod Baptiſta Mantuanus *contr. imp. ſcript.* canit, cùm dictum Apoſtoli textum ſic ſermone verſo eloquitur:

Verba movent animos, oris laſcivia pectus
Pulſat, & in venas ſemina mortis agit.

Semina, inquam, *mortis*, quæ nihil aliud ſunt, quàm cogitationes fœdæ, & affectiones animales generatæ tam in loquente, quàm in audiente, & producturæ ſeriùs aut citiùs in anima fructus & germina mortis ſempiternæ. Quapropter ſapientiſſimè notat Doctor melli-

fluus,

fluus, illi, qui æternæ ſalutis cum aliqua ſecuritate adipiſcendæ ergò in virtutis viam ſe dare deſiderat, incipiendum eſſe *ab oris cuſtodia.* Diſplicet enim DEO (quæ una eſt ex rationibus, quibus ſuam ſententiam firmat Sanctus Doctor) ſordidum hoc vitium ſolum plùs, quàm multa alia, quia alienæ ſaluti, tantopere ſupremo Numini deſideratæ, æſtimatæque, majus, quàm multa alia affert nocumentum. Unde Apoſtolus, cùm confabulationum obſcœnarum horrorem imperâſſet: *Omnis ſermo malus* (vel, ùt Baſilius legit, *ſpurcidus*) *non procedat ex ore veſtro*, mox addit: *& nolite contriſtare* Spiritum *ſanctum DEI.* Epheſ. 4. 29. Non ſecus, ac ſi Divinus Spiritus affligeretur, cùm audire cogitur obſcœna loquentes, immensâ triſtitiâ, aut quaſi impiæ ejusmodi voces totidem acutiſſima tela eſſent, quibus puriſſimum illius cor atrociter vulneretur.

Et reipſa nullum eſt ſcelus, quod moleſtiorem nauſeam, ut ſic dicam, DEO ipſi creet, quàm impuritatis & laſciviæ flagitium, ùt quod novimus extremis jam Noëtici diluvii, jam Sodomitici incendii ſuppliciis, jam pœnis graviſſimis aliis fuiſſe caſtigatum, ut Sanctus Thomas Villanovanus Epiſcopus teſtatur: *Luxuriæ facinus præ aliis atrociori vindicta punitum legimus* Eſt enim DEUS infinitæ puritatis Spiritus, cúmque ſanctiſſimis ipſius oculis anima ſubjicitur

tur

tur craſſa, materialis, tota ex carne coagulata, & Divinæ puritati è diametro oppoſita, tantam ab illa averſionem concipit, ut illius porrò impatiens, eam è ſuo conſpectu, non rarò poſt primum etiam peccatum, in tenebras infernalis abyſſi ejiciat; imò carnis vitium ita abominatur ut ipſa etiam impudicitiæ, luxuriæ, laſciviæ, & carnalitatis nomina horreat quaſi, ac deteſtetur, hominum quaſi more, inter quos impuritas, ac fœdum omne ſtomachum emovet non illi ſolùm, qui oculis ea uſurpat, ſed ei quoque, cujus vel auribus aliqua eorum mentio ingeritur. Unde fit, ut, cùm neceſſe omnino eſt, aliquam de ſordibus inferre memoriam, veniam ab audiente petamus.

Rem hanc omnem graviter & dilucidè explicat doctiſſimus Origenes, quando ait: *Compoſita* quidem *verba favum mellis & dulcedinem eſſe animæ palatóq; Salvatoris*, ut habetur Prov. 16. 24. Obſcœna verò, & fœtida eidem eſſe velut *aquam fellis* haud paulò amarioris abſynthio illo, quod pendenti olim è Cruce Judæi tortores propinaverant. *Si ſermones noſtri*, ait gravis hic author, *amaritudine ſunt pleni, ira, turpiloquio, non veſcitur his ſermonibus Salvator.* Atque hujusmodi ab oratione ſtudiosè abſtinendum eſt omni, quicunque non velit amantiſſimo Servatori per immane ſcelus denuo amariſſimum fel, & abſynthium porrigere.

§. II.

§. II.

RAtio alia, quæ omnes ab impuris ſermonibus deterrere poſſit, eſt finis, ob quem data eſt lingua, ſeria animi attentione penſitatus. Eſt autem loquela homini ad ternos uſus conceſſa, Doctore Seraphico teſte in c. 11. Luc, *Scilicet ad laudandum DEUM, ad ædificandum proximum, ad accuſandum ſe ipſum.* Quibus Doctores alii adjungunt, ideo linguam ad proferendos mentis humanæ conceptus tam benè factam eſſe, effictámque, ut DEO preces offerre, promulgare fidem, & animas in ſalutis ſemitam reducere poſſit, membrum utique nobiliſſimum, cujus miniſteriô gratiarum pro hac vita miſera fontes, Sacramenta videlicet, ſint inſtitnta, & panis vinúmque in Divinum Chriſti Corpus inexplicabilî prodigiô toties transmutetur. Ex quibus colligi facilè poterit, quàm horrendum flagitium ſit, illo ipſo membro, quod datum nobis eſt ad fines tam ſublimes, ad DEI gloriam, laudéſque promovendas, contraria omnia facere, & DEUM ipſum graviſſimè offendere, quantum crimen, illîs labiîs, quibus proximorum ſalutem ſedulò adeò curare deberemus, eosdem per data ſcandala, in æternas miſerias præcipitare, quantum denique ſcelus illâ ipsâ linguâ, qua peccata noſtra placando irato Numini fuiſſent ſumma cum animi demiſſione exponenda, augere peccata, &

iras DEI vindicis. *Nefas eſt*, ait S. Hieronymus, *ut labia illa, quibus Dominum confiteris, rogas, & benedicis, alicujus polluantur ſorde peccati. Epiſt. 14.* Et S. Chryſoſtomus: *Noli pati,* inquit in Pſalm. 140. *Linguam ſordeſcere, quomodo enim pro te deprecabitur, ſi libertatem* (& innocentiam) *propriam amittat? attendat ergo unusquisque*, concludit Bellovacenſis *in ſpec. mo. l. 3. diſ. 3. p. 1. Quanta ſit ingratitudo, quanta iniquitas, membrum tantis dotatum prærogativis inquinare fæcibus peccatorum, & quod eſt inſtrumentum DEI in Divinis officiis, facere diaboli inſtrumentum.*

Quid dicam jam de illo argumento, quod Patribus, dum ad ſolicitam linguæ cuſtodiam excitare quempiam voluerunt, fuit unicè propè uſitatum? Quid, inquam, de eo dicam, quòd linguæ utique puritas omnî ſtudiô conſervanda ſit, quia illa primum eſt Eucharilticæ illius, ſanctiſſimæque & tremendæ dapis receptaculum? *Videte fratres*, inquit Hipponenſis Præſul Serm. 215. de temp. *Si juſtum eſt, ut ex ore Chriſtianorum, ubi Corpus Chriſti ingreditur, luxurioſum canticum, quaſi venenum diaboli, proferatur.* D. Chryſoſtomus verò: *Per has*, ait, *portas Chriſtus ingreditur, cùm communicamus, audiant, qui obſcœna loquuntur, qui convitia proferunt, ac cohorreſcant, cogitantes quale os turpent ac dedecorent.* Sed quid multùm Patribus hîc opus? non illi

ſoli obſcœnæ locutionis fugam Diviniſſimo cuidam Sacrificio à lingua, quæ præcipua illius miniſtra eſt, deberi exiſtimant; Senſerunt id ipſi Ethnici, Athenienſes inquam, nulla fidei luce colluſtrati. Hinc enim fuit, quòd per hominem oris impuri, ſi Sacra contingeret, Sacrificia pollui crederent; Hinc item, quòd Demochari, quòd fœda haberet, & neſcio quibus, ſordibus deturpata labia, non Altaris ſolùm aditu interdicerent, ſed id quoque prohiberent, ne ignem Veſtæ Deæ conſecratum ſuo flatu animaret. Imò quid ab Ethnicis etiam, quid à populis multùm hinc diſſitis argumentum ducimus? Vos ipſos conſulo, utut carne & ſanguine ſepulti penitus, omníque ſenſu ac ratione deſtituti eſſe videri poſſitis. Veſtram imploro fidem, an non ipſi adorandæ huic & tremendæ Hoſtiæ ſummum cultum ſummámque linguæ, oris, cordis puritatem deberi exiſtimatis? Creditis enimvero, & ita creditis, ut neſcio quo, occulto numine, quo horrore, furoréve ſacro mox ardeatis, quamprimum ab alio quocunque demum injuriam eidem aut inferri, aut illatam eſſe intelligitis. Agite enim, an non omnes artus, omnéſque fibræ vobis contremiſcunt, ſi auditu percipitis, olidum quempiam de Judæa gente Apellam Sanctiſſimam hanc dapem in ſterquilinium, ſentinámque projeciſſe? Aitis, ſic omnino comparatos vos eſſe, fatemini, ſcelus hoc immane vobis videri;

ri ; & tamen intelligitis, minùs has ſordes, minùs cloacarum, ſterquiliniorúmque fœtorem DEO diſplicere, quàm os impurum, & linguam luxuriæ venenò ac Veneris tabe fœdùm contaminatam. O! quàm belli igitur Judices! quàm bellè contra vos ipſos, veſtrámque contra inſaniam pronuntiatis!

Si enim Balthaſſar Sacrilegus ille Templi Jeroſolymitani latro, quamprimum ſacra vaſa profanis uſibus polluit, mox ſeveras pœnas non regni tantùm, ſed vitæ etiam amiſſione luit; caſtigationem expectare non poteſtis, niſi ſeveriſſimam, quicunque linguam Sanctiſſimi Corporis contactu conſecratam, ad uſus non profanos tantùm, ſed ſceleſtos & diabolicos adhibitam, polluere audetis & facere *de Calice Domini vas ignominiæ.* Saltem mirandum vobis non eſt, ſi polluta hæc labia veſtra ex Diviniſſimi Sacramenti repetito uſu nullum referunt fructum. Nimis enim indigna illa ſunt, nimis Divinis gratiis inepta. Nonnemo certè ex Ciſtercienſibus Monachus, ùt Grangermannus recenſet, qui aliàs ab hoc Angelorum Cibo dulcedinem quandam, mel omne ſuperantem, ſenſerat, poſtquam una, etiam ſola vice, linguâ eſt lapſus, ac ne id quidem graviter, à ſuſcepta dein hac ſacra dape pro melle abſynthium ſenſit, & fellis amaritudinem, tormenta alia, neſcio quæ, majora portendentem.

Motivum ultimum, à ſermonibus obſcœnis nos abſterrens, ſit, quòd illi ſuo mo-

do renovent dolores & tormenta omnia patienti Salvatori. Plùs enim peccata illi dolent linguæ alicujus ſcandaloſæ, quàm cruciatus univerſi, quibus ab efferata carnificum gente fuit laniatus. Teſtatur hoc Auguſtinus, quando verſiculum illum Pſalmi 63. explanans: *Exacuerunt, ùt gladium, linguas ſuas: formaverunt ſibi ſermonem nequam*: Aſſerit, in Judæam gentem hæc dicta eſſe, ùt quæ gladio linguæ non minùs occidit Chriſtum, quàm Romani milites & flagris, & ſpinis, & lancea, & Cruce. In eadem ſententia Venerabilis Beda quoque eſt: *Bis*, inquiens in c. 20. num. v. 14. *Chriſtus crucifigitur, & linguis Judæorum, & manibus militum percuſſus.* In quo ſenſu S. Auguſtinus *l. 3. de Conſenſu Evang. c. 13.* docet intelligendos, conciliandóſque eſſe Marcum & Joannem Evangeliſtas, quorum unus Chriſtum horâ tertiâ crucifixum eſſe affirmat, qua Judæi barbarum illud *Crucifigatur* obſtinatè inclamârunt; alter verò horâ ſextâ, qua reipſa Crucis trunco clavis per manus pedéſque adactis, confixus eſt. Imò non dubitat Sanctus Doctor ſignificare, linguas Judæorum Deicidii illius, & horrendi Sacrilegii magìs etiam fuiſſe reas, quàm carnificum manus, magíſque Chriſto & improperia, & convicia, & ſubſannationes diſplicuiſſe, quàm omnes alios, quos ſuſtinuit cruciatus. Confirmat id ſuo conſenſu mellifluus Doctor Serm. 1. in Con-

 verſ.

verſ. S. Pauli. *Si proprium Sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum,* inquit, *non tibi videtur graviorem ab eo ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione maligna, exemplo pernicioſo, ſcandali occaſione avertit ab eo animas, quas redemit, quàm à Judæo, qui Sanguinem illum profudit? horrendum penitus ſacrilegium eſt, impedire ſalutem animarum, quod & ipſorum videtur excedere facinus, qui Domino Majeſtatis ſacrilegas injecerunt manus.*

§. III.
EXEMPLUM.

SI blaſphemare, & impura loqui, vitia ſunt mutua conjunctione perpetuáque ſocietate ita gaudentia, ut ipſe Apoſtolus iis etiam, de quibus uno, non item altero infectos eſſe conſtabat, tamen utrumque ſimul prohibendum cenſuerit: *Deponite blaſphemiam, & turpem Sermonem de ore veſtro;* veroſimile admodum eſt, colluſores illos, de quibus Cantipratanus narrat, non per blaſphemias tantùm, ſed per obſcœnitatem quoque verborum illa vulnera, quæ recenſet, Servatori inflixiſſe. Ædem quampiam ſacram, die Veneris Sancto nondum plenè illuceſcente, viſitatum ibat in civitate Lovanienſi civis nonnemo & nobilitate, & pietate inclytus, cúmque pergeret de platea in plateam, & omnia nocturno ſilentio etiamnum conticeſcerent, tandem è ga-

neæ neſcio cujus regione ſuſpiria & gemitus ipſi audiuntur. Hæſit is aliquantùm, & gradum repreſſit, mox tamen internis pietatis ſtimulis iteratíſque ſuſpiriis emotus viam promovit, & præ diverſorii cujusdam publici foribus hominem invenit, modeſtiſſimum illum, & cujus facies neſcio quem, tenerum intuenti ſenſum afflaret, ſed vulneribus paſſim conciſum, & multo undique Cruore manantem. Doluit enimvero miſeri conditio Nobili, doluit latronum ſcelus, adeò, ut neſciret aliquamdiu, quid agendum, quid ſentiendum ſibi eſſet, & an ſubducendus primùm frigido aëri vulneratus, an in homicidas impios eundum eſſet? tandem interrogat, quis tantum ſcelus eſſet auſus? quis ita hominem exuiſſet? cui ſauciatus, Juvenes bini, reſpondit, qui in hac ipſa domo luſibus nunc dant operam, & horrendis blasphemiis, ac obſcœnis confabulationibus auram contemerant, illi hæc mihi, quæ vides, inflixerunt vulnera. Non potuit non dolentiſſimè ferre hanc inhumanitatem virorum optimus is, quem diximus, civis. Quare juſta irâ inflammatus domum irrumpit, duósque, quos luſui immerſos offendit, vultu ad gravitatem ab ipſa indignatione ſatìs compoſito, heus vos! increpat, an non pudet in ſanctiſſima hac nocte ita barbarè tractâſſe miſerum, qui mortuo ex vulneribus, quæ inflixiſtis, quàm vivo ſimilior ad ædium fores proſtratus jacet? Nihil inexpectatum magìs

ludienibus illis accidere potuiſſet, nihil quod terrere aptius foret. Quare attoniti, ſe verò tota illa nocte, reſpondent, ne vidiſſe quidem quemquam hominum, multò minùs ſauciâſſe, útque rei veritatem comperirent ac demonſtrarent ocyùs, ædibus ſe ejiciunt, viſum, quis ergo ille miſer, quis ſaucius, qui ſe homicidii auderet reos agere. Verùm cùm proceditur, cùm aperiuntur fores, cùm circumſpicitur, nec umbra quidem hominis, ſanguiníſque, aut vulneris apparuit, in eóque res erat, ut ſeverum illum increpatorem malè multatum à ſe abigerent. Sed nempe qui pro eorum ſalute mira patrare cœperat DEUS, non tulit, ut novo illi ſcelere ſe obſtringerent. Interno enim lumine colluſtratos docuit, ignoti illius hominis ſchemate Salvatorem latuiſſe, demonſtraturum miſeranda totius corporis facie, qnantum vulnerum & plagarum ipſi imponant blasphemæ obſcœnæque linguæ, linguæ *rurſum crucifigentes Sibimet ipſis Filium DEI.* Quid boni eventûs in luſoribus illis res hæc habuerit, non liquet: Id conſtat, eâ aut lectâ, aut auditâ, quemdam DEI ſervum in hæc verba prorupiſſe cum Propheta Jobo c. 27. 3. *Donec ſupereſt halitus in me, non loquentur labia mea iniquitatem. Drexelius & Cantipratanus l. 2. Apum. l. 49 p. 10.*

CA-

CAPUT V.

Facito frenos ori tuo rectos. Eccl. 28. 29.

Media correctiva Linguæ obſcœnæ.

§. I.

NOn contentus eſt Sapiens petulanti ori *frenum* imperâſſe, ſed *frenos* ei imponi jubet, ut oſtendat, non uno, ſed pluribus mediis, eam a lapſibus continendam. Et verò plura etiam ſuppeditabimns, quorum diligenti uſu quivis periculoſum hoc malum poſſit à ſe defendere. Primum eſto, quod Regius Propheta nos docet, recurrere per devotas preces ad DEUM frequenter, & juxta Pauli monitum ſine intermiſſione, ad illum exclamando: *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba malitiæ.* Nôſti enim, mi DEUS! quàm proclivis ad malum mea ſit lingua, quàm lubrica, quàm præceps ad turpia & obſcœna. Opus mihi eſt ſingulari cuſtodia, opus, ut tu ipſe excubias colloces, quæ in mala erupturam coërceant. Nemo enim niſi tu, *Nemo hominum linguam domare poteſt.* Jac. 3. 8. Neceſſe videlicet nobis

eſt, ſi ægrientem noſtram linguam ſanari velimus, ut diviniſſimum noſtrum Magiſtrum, Chriſtum JESUM imitemur, qui ut medium ſanandis linguis noſtris, non ligatis illis & mutis, ſed nimiùm heu! lubricis oſtenderet, ſurdi illius mutíque hominis linguam cùm ſanitati reſtituere vellet, non oculis ſolùm *ſuſpexit in Cœlum.* Marc. 7. ſed mentem etiam ad cœleſtem Patrem elevavit, per orationem ferventiſſimam. Neceſſe eſt, inquam, ut Divinum hunc Magiſtrum ſecuti, oculos, mentémque cœlo attollamus, & opem imploremus divini Spiritûs, qui cùm providentiſſimè ſub ignearum linguarum ſchemate in Apoſtolos deſcendit, utique nobis ſignificare voluit, veniſſe ſe ad purgandas ipſorum ab omni macula linguas, & ad docendum ipſos ſermonem purum, immaculatum, & convertendo toti mundo idoneum; ſuúmque eſſe emundare etiam noſtras, ſi rogetur modò; ad ſe denique recurrendum eſſe ab illis, quorum æquum deſiderium, & pia voluntas eſt, *ut linguis loquantur novis.* Noverat hoc Abbas Siſoës Sanctitatis fama illuſtris, & de ſe ipſo fatetur per continuos triginta annos hoc unum ſe oráſſe: *Domine JESU Chriſte! protege me à lingua mea.*

Medium alterum linguæ corrigendæ, & intra modeſtiæ limites deinceps continendæ, eſt, quod amantiſſimus itidem Salvator nos docuit, quando *ingemuit;* cùm loquendi facultatem homini illi muto, de quo mox mentio-

nem

nem fecimus, reſtituere vellet. Omnino neceſſarius eſt, ex corde recto, ac lapſuum ſuorum pœnitudine vulnerato profectus dolor, volenti prurientem linguam compeſcere, & hujus unius defectus maximè in cauſa eſt, ut dies, menſes, anni, iique ſæpe pluſculi vivantur in perpetuo damnationis periculo ex linguæ intemperantia, quin illud etiam tantùm animadvertatur. Venenum enim, quod per uſum in alimentum propè tranſiit, tales non mordet jam, non cruciat, non affligit, non diſcriminis admonet, & pro eo, ut deteſtentur illud hi tales, & ejiciant, amatur, tegitur, & velut pretioſum cimelion ſolicitè etiam cuſtoditur. *Natura*, inquiunt blaterones hi, ut ſe contra divinum Spiritum aut per ſe, aut per homines intermedios monentem, defendant, *lubricâ admodum me linguâ inſtruxit. Non mea hæc culpa eſt, ſed Natura. In conſuetudinem mihi jam abiit, turpiuſcula loqui. Quis exuat hanc alteram Naturam? quis reſiſtat violentis illius impulſibus? Præterea non loquor ego talia, quòd DEUM velim offendere. Prohibeant boni ſuperi hoc à me malum! ut animum recreem, ut riſum aliis cieam, loquor. Quid mali in his?* Et utinam hominibus, ſui ſimilibus, tantùm venenum hoc abſconderent! Verùm quem palpum his obtrudunt, obtrudere conantur etiam ipſi Sacro Judici, dum DEI perſonam in ſacro tribunali is refert, cui cùm ſincerè hæc animæ ulcera, ex lin-

gua ſua peſtilenti profecta, detegere deberent, palliant illi ſermones obſcœniſſimos, ac etiam turpiſſimorum verborum peſtem ſub ſchemate verborum vel otioſorum, vel ineptè ridiculorum, vel, ſi multum dicant, turpiuſculorum confitentur. Sic enim pro eo, ut immania vulnera Corrodentibus mediis curata, coaleſcant, recrudeſcunt illa per lenientium pharmacorum dulcedinem, & dum periti Medici manibus malè ſubducuntur, immedicabilia evadunt.

Opus igitur eſt, ut quiſquis hoc morbo laborat, periculi ab illo creari ſoliti, gravitatem ſeriò perpendat, & omni veſpere, cùm ſuam conſcientiam per conſuetum examen luſtrat, in id maximè indaget, quid lingua per diem, quàm graviter, qua occaſione lapſa ſit? dolor dein ingens concipiendus, quòd lingua ad omnes alios fines à benigno Numine conceſſa, in uſus divinæ voluntati adeò contrarios ſit adhibita. Denique firmiſſimum propoſitum faciendum abſtinendi omnibus viribûs à qualibet, etiam unica impura voce, & ſubeundi omnia potiùs mundi ſupplicia, quàm vel unica deinceps ſimili culpa à propoſito diſcedendi, S. Elzearius Ariani Comes malebat fœdiſſimo carcinomati, quàm impuræ voci os ſuum habitandum dare: Imò quid de Chriſtiano ajo? Zeno homo Ethnicus dicere ſolitus fuit, ſatiùs eſſe cadere equô, quàm verbô incompoſito, ùt Drexelius de lingua turpiloqua refert. Do-

Documentum tertium reducendæ ad honeſtatem linguæ cumprimis utile Chriſtus tradidit, cùm ***tetigit linguam ejus***, muti videlicet, de quo tertiùm nunc meminimus. Non enim utilius linguæ noſtræ medicamentum eſſe poteſt, quàm ejus à diviniſſimis Chriſti manibus contactus, qui tum maximè contingit ſaluberrimè, cùm in Sacra Synaxi Chriſtum hoſpitem ore excipimus & lingua. Quisquis hoc vitio laborare ſe ſentit, ad experientiam illum provoco, accedat crebrò Evchariſticum epulum, petat confirmari lubricam ſibi linguam divini Corporis attactu, atque illius nævos immaculati Agni candore purgari; & expertus intelliget, quantæ ſint vires hujus cibi, quàm longè ſit abfuturus dein ab Epicureis laſciviæ ructibus, quàm facilè ea ſolùm & eo modo loqui, quæ & quomodo loqui incarnata Sapientia docuit. Prima erit lingua, quæ Cœleſtis hujus Mannæ miros effectus, ac prodigioſam humores noxios pellendi vim experiatur, uti prima eſt, quæ eum cibum contigit. Juratus humani generis hoſtis non audebit turpia tali ſuggerere. Nam, Petro Damiani teſte, ***terretur adverſarius, dum videt Chriſtiani labra Chriſti Cruore rubentia.*** Verbô, quemadmodum ignitô Calculô Iſajæ labra mundavit Seraphinus quispiam, ita DEUS Evchariſtico Pane velut pretioſiſſima gemma Charitatis, igne accenſa fidelium labra perpurgat, quando, ût Juſtinus Martyr aſſerit:

Quem carbunculum vidit Propheta ſuis immundis labiis admoveri, is imaginem habebat Dominicæ Carnis ab omni impietate purgantis.

§. II.

SUfficere poſſent hæc ex Chriſti doctrina deprompta media frangendo etiam huic pertinaciſſimo morbo; Sed juvat tamen alia quoque addere. Tale præprimis eſt memoria perpetua DEI, primùm ubiqne præſentis, & maximopere obſcœnitatem quamcunque deteſtantis; tum deinde hominum etiam, infamem illum habentium, qui in hoc cœnum oratione excurrit. Nam ſi talia loqui erubeſcis præſente ſummi ordinis viro, audiente Principe, aut Epiſcopo dignitatis reverentiâ retractus; Quomodo audebis in orationem laſcivam prorumpere, cogitans DEUM præſentem, audientem, & intuentem? Suadet hujus medii uſum Sanctus Gregorius Theologus, cùm in omni Sermone cogitare quemvis jubet ſe *audiri. Angeli audiunt*, inquit, *DEUS audit, & tu dictorum rationem poſcêris ſuo tempore.* Quòd ſi timore DEI jam non movearis, at ſaltem humana exiſtimatio frenum tibi injiciat. Vel an fortè ita obbrutuiſti, ut non videas, non intelligas, quam opinionem de te homines concipiant, cùm audiunt ſcurrarum, ganeonum, meretricum linguam tè loqui? Linguam, inquam, cujus probrum

ac dedecus adeò grande eſt, ut Sapientiſſimus ille Ulyſſes Homero teſte, cùm Therſitæ, homini non corpore ſolùm ſed animo etiam deformi, maximam quam poſſet contumeliam imponere vellet, nil propoſito ſuo aptius facturum ſe putaverit, quàm ſi *malam linguam* eundem appellaret, ratus videlicet, plus probri ſe monſtro illi hominis ingeſſiſſe, quàm ſi ſingillatim omnia corporis ei animíque dedecora exprobrâſſet. Nec deceptus is eſt opinione ſua. Nam ſi ex lingua, & ex verbis ſuis dignoſcitur vir, quomodo non omnino infamis ille eſt, quomodo poteſt velle pro bono viro haberi, quem verba infamant? quomodo Innocens exiſtimabitur, quem lingua propria condemnat, & reum proclamat? *Non credibile poteſt videri, eum bene vivere, qui malè loquitur;* inclamat omnibus Ambroſius. Meram ille cætera pietatem ſpiret, meram Sanctitatem, non credibile poteſt videri, eum benè vivere, qui malè loquitur. Ut verbô rem dicam, adeò verum eſt, vitam cujusvis ſermoni eſſe conformem, ut cæcus nonnemo, cùm fortè fœmina magni aliàs æſtimata præteriret, eámque parùm caſtè loqui audiret, à duce ſuo ſciſcitatus ſit, quodnam illac Scortum tranſiiſſet: *Nec mirum*, ſubjungit, qui rem hanc ſcriptô vulgavit, *audîerat enim verba meretricum*

Proderit etiam plurimùm, particularis examinis telô, hanc feram aggredi, ut ſic indu-

ſtria

ſtria ſingulari adhibita, ea certiùs debelletur. In examine enim generali contra omnes univerſim noxas pugnatur, & hoc ipſo ex capite plena omnium victoria ejus ſolius adminiculo vix quiſquam potitur. In hoc verò, quod ſuademus, in quo vigilantia, viréſque omnes uni ſoli expugnando ſingulariter exeruntur; fieri non poteſt, ut diu reſiſtat hoſtis, & omnino neceſſe eſt, ut exiguum poſt tempus expugnatus, herbam victori porrigat. Habent enim ſe pravæ noſtræ conſuetudines, diſtortæque affectiones virgarum ad inſtar in faſcem colligatarum. Quantumcunque eas ſic unitas frangere laborabis, nihil planè efficies. At ſolve vinculum, ſejunge colligatas, ſinguláſque aggredere, & nullo negōtio franges univerſas. Age igitur, & quisquis linguam emendari ſeriò cupis, hoc conſilium arripe. Excute manè & veſperi animum, an nullius ille ſibi impuræ vocis ſit conſcius. Síque nævum invenias, aut nævos etiam, nota illos, & ex iis adverſariis diem cum die, hebdomadámque & menſem cum hebdomada & menſe confer. Mentiar ego, niſi exiguo tempore elapſo, alium te invenies, & linguam non jam obſcœnam, ſed puram & angelicam propè tibi eſſe admiraberis. Ad illa tamen, quæ Chryſoſtomus jubet, animum bene advertas, neceſſe eſt. Media aliqua adhibenda tibi ſunt, etiam cùm hoc, quod ſuademus, uſurpas. Nam ſicut morbus, per hoc,

quòd

quòd cognitus ſit, nondum eſt ſanatus, ſed pharmacis expelli debet. Ita hæc ægrientis linguæ intemperies non expugnabitur, niſi media etiam alia adhibeas. Primum Chryſoſtomi juſſu eſt, fuga conventiculorum, in quibus omnia linguæ licent, súntque hæc eâ curâ vitanda, qua Vaticano fulmine percuſſi, aut peſte infecti, ſolent vitari. Nam nimis difficile eſt linguam arctiſſimè cohibere, ubi alii liberrimè, quidquid in buccam venit, quantumvis turpe & obſcœnum, effutiunt. Alterum eſt cavere ab omni ſuperflua & inutili loquacitate. Nam Sapiente teſte *Prov.10. 19. In multiloquio non deerit peccatum.* Et quisquis prudenter amat loqui, parcus is verborum ſit, neceſſe eſt. Prout idem Sapiens docere pergit: *Qui moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt.* Elephas, quo nulla belluarum prudentior, imitandus nobis eſt, ſi magni, ſi ſapientes & haberi & eſſe volumus, & quemadmodum hoc vaſtiſſimi corporis animal minutiſſimam tamen linguam circumfert, ita & nos in loquendo pauci, minuti, imò nulli eſſe debemus, in illis præſertim confabulationibus, quæ hircum & Venerem olent, Iſocratis exemplo, qui in hujusmodi ſermone rogatus; ut & ipſe ſymbolam ſuam conferret, nec porrò obſtinatè adeò tacere pergeret, reſpondiſſe fertur: *id, de quo ſermo vobis hîc eſt, non intelligo; & de illo, quod intelligo ego, ſermo vobis in præſentia non eſt.*

Tertiò

Tertiò denique, ſi loquendum omnino eſt, prævidendum ſaltem, ubi & quando in ſermonem fuſiorem excurrere neceſſum ſit; præmuniendus dein ſtudiosè animus contra omnia labendi pericula, & induſtriè phraſes, ſententiæ, aliáque orationis materies ex honeſtatis, caſtitatíſque gazophylaciis depromenda: *Sicut eligis, quo veſcaris*, nec paſſim in omnes lances involans, cibis noxiis, & innoxiis ſine diſcrimine te infarcis: *Sic elige, quod loquaris* Auguſtinus monet *in Miſcell.* conſonante Doctore mellifluo, cujus tritum proverbium erat: *Bis priùs ad limam veniant verba, quàm ſemel ad linguam.*

Ultimum emendandæ linguæ frenum, & fortè, quo illa maximè in officio continebitur, ille adhibuerit, qui, quotiescunque in familiare hoc cœnum fuerit prolapſus, mulctam ſibi indicet, & rigidè etiam exequetur. Sylveſtres anſeres, cùmTaurum montem aquilis infeſtum volatu transmittunt, ore calculum ferre dicuntur, ne in conſuctos clangores effuſi hoſtes aquilas in ſuam perniciem excitent. Imitatus hunc morem eſt Abbas Agathon, ùt Rodriqnez *de Exercit perfect Chriſt.* refert, dum tres ipſos annos ore calculum circumtulit, qui freno ipſi eſſet, atque à vanis confabulationibus aut retraheret immerſum, aut attentum redderet, ne involvi ſe his nugis pateretur. Alium Granatenſis narrat, quotiescunque in veſpertino illo Judicio, quo dicto-

dictorum factorúmque omnium rationem à ſe exigebat, verbîs ſe lapſum deprehendiſſet, linguam ſibi admordiſſe. Alii denique aliis in ſe pœnis animadverterunt.

Dici haud poteſt, quàm utile ſit hoc pharmacum, quantúmque juvet defectus ſingulos ſingulîs pœnîs, aut quas vocant, mortificationibus caſtigare. Nam quisquis audet in ſe correctorem agere, jam ſe ipſum timebit, nec tantum illi erit animi, ut culpam committere velit, quam ſcit tam ſeverô medio & tam certò puniendam. Equi ad inſtar talis ſe habebit, qui, modò ſciat equitem calcaribûs eſſe inſtructum, etiam cùm iisdem non pungitur & incitatur, alacriter tamen pergit & ſecurè, timore nimirùm ſolo, ut in officio ſe contineat experrectus. Si fidem verbis non habes, experientiæ habe. Age, incipe linguam tuam, quotiescunque illa pruritu ſuo in lapſum te trahit, toties ſuppliciô aliquo afficere, jube illam defectus ſingulos vel doloroſa Crucis in pavimento formatione, vel moleſta à gratiori quodam edulio abſtinentia, vel Pſalmorum, quos pœnitentiales vocant, lectione, vel denique aliquot dierum ſilentiô eluere & expiare; & mentiar, niſi manibûs palpabis fructum, quem ab hoc exercitio feres, ſi & rigorosè ut judex mulctam imperabis, & imperatam non molliter exiges.

§. III.

§. III.
EXEMPLA.

Remedium linguæ corrigendæ aptiſſimum exiſtimavit D. Joannes Chryſoſtomus adhibitum iri ab illo, qui toties ſtipem aliquam pauperibus erogare proponeret, & erogaret etiam, quoties linguæ prurigine victus, in verba non decentia eandem effundi permitteret. Et verò panaceam hanc eſſe morbo huic expugnando aptiſſimam ſuo bono, ſuóque experimentô teſtatum nobis fecit non unus. Erat Bellidux nonnemo, in paucis ſtrenuus, & ita boni Militis æquè, ac Ducis munia explere ſolitus, ut non jam *Laberlot*, quo à primis annis nomine appellabatur. Sed *Bellator* priori voce in inſignem hunc titulum per elegantem anagrammatiſſimum mutata vocaretur. Verùm quàm bene is regere exercitus, & inſtabilem firmare ſortem noverat, tam malè moderari poterat linguæ, ejúsque volubilitatem cohibere. Eò enim devenerat, ut contractam ferream malè ac ſcandalosè dicendi conſuetudinem expugnare nullo jam labore poſſet. Hic talis, cùm die quadam, in ſplendido convivio animum curîs relevaret, & in conſuetum maledicentiæ cœnum ſæpius prorueret, denique ab amico, quocum ipſi ingens erat neceſſitudo, rogatus eſt, abſtineret tandem ab hoc orationis genere, quod ſi de plebe hominem dedeceat, non utique homini

conve-

conveniret in eo honorum gradu, quo ipſe eſſet, conſtituto. Non diſplicuit illi germanus monentis amici Candor, & verò obſecuturum ſe ajebat, ſi modò poſſet. Nunc autem, cùm in conſuetudinem res iiſſet, quæ advertentiam quoque & ſenſum mali eriperet, fruſtra illud eſſe. Jam ante illum à multis ſe eſſe monitum, mediîs etiam fuiſſe inſtructum, quæ ſedulò & induſtriè uſurpâſſet: ſed incaſſum. Cœpit dein narrare aliqua illorum pharmaca, & deſiderium oſtentare, ſi quid ipſi præterea occurreret, id omne quàm libenter exhauriendi. Gaviſus hoc animo Laberloti amicus, præter narrata, aliud ſibi eſſe medium reſpondit, hoc ſi uteretur, ſanitatem linguæ certò redituram. Obſtinge te mihi, ajebat, fide, qua nobiles Chriſtiani ſolent, pro ſingulis impoſterum linguæ peccatis ſingulos Julios te daturum Ephebo, qui de re hac te monebit, pauperibus diſtribuendos, & dies non multi effluent, cùm devicta conſuetudine aliter loqui ſcies. Placuit conſilium hoc Laberloto, & protinus executioni illud mandare cœpit. Primis quidem diebus multum, quod cum pauperibus ageret, ephebus habuit, cùm jam viginti, jam quindecim, jam decem Julios pro lapſuum videlicet numero in mendicos erogavit. Verùm comparſus eſt illi puulò pòſt is labor, & Laberloto pecuniæ. Nam dedidicit gradatim hoc vitium & Annô integrô nondum evoluto, ita

caſtè,

caſtè, ita verecundè loqui didicit, ut nulla ab honeſto etiam paululum duntaxat aliena vocula ei deinceps unquam exciderit.

Alium modum, ſed ejusdem medicæ virtutis, linguæ emendandæ præſcripſit S. Rudolphus Epiſcopus, quando emendationis ſeriò cupidos linguam juſſit aliqua à vino abſtinentia mortificare. Et procul dubio medium hoc linguæ obſcœnæ corrigendæ multùm ſerviet, poſtquam blasphemiis etiam aſſuetam, feliciter perſanavit. Refert P. Jeremias Drexelius S. J. civem quendam Memmingæ in Suevia fuiſſe oris adeò impudentis, ut tertiô quoque verbo in blasphemias & maldicta erumperet. Nil remedia, quæ diverſa ipſi adhibebantur, jam proderant, & cùm de malo in pejus quotidie rueret, conſuetudo denique in naturam abiît, & illi ſimul ac notis omnibus univerſam ſalutis ſpem ademit. Cùm in eo rerum eſſet articulo miſer, neſcio quis pharmacum proponit homini inexpertum hactenus, ſed quod eventus docuit, omnino utile, quia mordaciſſimum. Suaſum illi eſt, ut vinum negaret linguæ, cujus illa mirè amans erat, quotiescunque in blasphemiam iterum, aut maledictum ſe ſolveret. Mirum dictu! non multum temporis eſt elapſum, cùm pertinax adhuc malum manus dedit, & temperantia hæc peccantem humorem ita omnem è lingua ejecit, ut ſive lætitiâ ferveſceret, ſive irâ turbaretur, nunquam dein impium ullum

verbum

verbum evomuerit. Nempe nimis inſipidæ erant germano palato abſurda Thetidis pocula, & poterant hîs ſolîs labra illi mundari, quin uſtulationis ſevera tormenta adhiberentur, veterum Gallorum more, qui blasphemis

- - - *Ignito purgabant ſtigmate labra.*

Placet hîc afferre quoque medium illud ſanctè lepidum, quod Divus Ignatius Loyola corrigendo juvenculo adhibuit, quódque digniſſimum eſt, ut omnes patresfamilias & nôrint, quò ſuis pro delicti ratione parî modo ſubveniant, & adhibeant, quò proles ſuas, ſi fortè jam in ætatis flore peccare linguâ inciperent, eò certiùs poſſint & ſuaviùs emendare. Incolebat Romæ Societatis JESU domicilium filiolus Judæi, paulò antè ad Chriſtiana ſacra traducti, ſervitiîs pro ætate neſcio quibus occupatus, iratúsque aliquando gangrænam nonnnemini fuerat imprecatus, votô Italis familiari. Doluit enimvero hoc tenellæ plantæ ominoſum malum viro Sancto, & curandum id ratus, antè, quàm radices altiores ageret, ſed blandè tamen. Mox cancrum, qui maximus poſſet, emi juſſit. Vix illum acceperat, cùm puero ad ſe vocato: Noſtin', inquit, quàm fœda res ſit cancer ſeu gangræna, quam illi, quem nôſti, antea es precatus? En! adverte oculos, & prîus ipſemet, quid monſtri hoc ſit, experire. Hîs dictis reo manus ad tergum colligari, cancrúmque è funiculo ad pectus appendi juſſit. Mirum, quan-

to ad animalis conſpectum pavore tremuerit nequiculus; Cùm verò beſtiam immanes chelarum forcipes efferre, iſque jam pectori, jam oculis, jam linguæ, ùt videbatur, minitari vidit, omniáque penſare, timens utique, ſe jamjam in fruſtra diſcerpendum, vociferabatur, plangebat, lacrymabatur, & ſeriò denique promittebat, nunquam porrò hanc tetram adeò peſtem ſe cuiquam imprecaturum. Si ſecùs faceret, tum enimvero ſe prædam huic beſtiæ ceſſurum. Non neſciebat Divus, planctus hos & promiſſa minimè ficta eſſe, ut verò in ævum etiam data fides duraret, non niſi poſt aliquamlongum tempus removeri cancrum, manúsque ſolvi juſſit. Ingreſſus eſt hic ipſe parvulus poſtea Divi Dominici Ordinem, & ſolebat hanc rem multo lepore multis narrare, laudans Ignatii prudentiam, qui ſuppliciô culpæ & ætatulæ omnino accommodato ita dedocuiſſet illius maledicti uſum, ut per omnem deinceps ætatem nunquam id à ſe iterum prolatum eſſe meminiſſet.

O! ut Patresfamilias, omnéſque, quorum curæ juventus educanda eſt credita, ex hoc diſcant juxta Apoſtoli monitum ad *Epheſ 6. 4. Educare filios ſuos in diſciplina & correctione.* Ac convenientî Annis ſupplicio culpas etiam leviculas, verbáque, non dicam turpia, ſed turpiuſcula quoque caſtigare! quàm multi, imò quàm innumeri emendatiores habituri eſſent linguas, à mollibus, queîs in pueritia

inſue-

inſueverunt, verbis ad turpia & obſcœna, niſi in tempore corrigantur, abituras!

Henricus Engelgrave P. 2. Dom. 4. Quadrageſ.
P. Drexelius de vitioſ. ling. med. c. 59.
P. Daniel. Bartoli l. 3. vitæ S. Ignatii.

PARS II.

PANACEA ADVERSÙS CONVERSATIONEM PRAVAM.

CAPUT I.

Mala Societas, peccatorum & malæ vitæ cauſa, ac principium eſt.

§. I.

ATtenta conſideratione digna eſt ſapiens illa animadverſio, qua in protoparentis noſtri Adami peccato aliquid, non multis notatum, obſervârunt Sanctus Cyrillus Alexandrinus, & Auguſtinus. Quamdiu parens ille humani generis paradyſum voluptatis ſolus incoluit, ne cogitavit quidem de peccato committen-

 do.

do. Verùm vix ſocia ipſi & adjutorium ſimile, Eva, inquam, eſt adjuncta, cùm Ecce! protinus & admiſit culpam, pomum vetitum guſtandô, & confeſſus eſt ſine fuco: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Ecce!* exclamat Sanctus Cyrillus, *peccatum, quod innumerabilibus aliis committendis barathrum patefecit, à malæ ſocietatis culpa originem traxit; Mulier, quam dediſti mihi ſociam &c.* Non multùm diſſentit Hipponenſis Præſul, imò eandem veritatem elegantiùs ſolùm, quod ſolet, effert: *Adam,* inquit, *non quidem victus eſt concupiſcentiâ, quam nondum ſenſerat, ſed amicabili quadam benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur DEUS, ne homo ex amico fiat inimicus.*

Verùm non hi ſolùm Eccleſiæ Doctores noſtro bono veritatem illam advertêre, malo noſtro Stygius quoque ſerpens, & humani generis hoſtis juratus notavit ex miſero illo lapſu, quantum ad mala incitamentum, quàm potens ſit perverſa ſocietas. Hinc plerumque, cùm innocentem animum circumvenire, & in ſua retia induere cupit, non ipſe prædam aggreditur, ſed malæ frugis ſocium ſibi ſubſtituit, gnarus, certiùs & ſecuriùs hac ratione, quàm alia voti ſe damnatum iri, imitatus (quod ex S. Ephremo *p. 1. c. 1. §. 1.* de innocentium ad obſcœnas confabulationes ſeductione notavimus) callidum venatorem,

&

& velut huic capta jam antè avicula, ad reliquum pennigeri gregis florem alliciendum, & ſuæ poteſtatis faciendum ſervit, dum cicuratur primò, ac dein in area exponitur ſuo cantu compares deceptura, *ſic* univerſim, *capta, & decepta à dæmone anima illi ſit quaſi laqueus ad alias capiendas & decipiendas.* Ingenioſè nos de hac malitia & patheticè edocet S. Gregorius. *de rect. viv. rat.* quando ex una parte ſuper illa Jeremiæ verba c. 50. *Contritus eſt malleus univerſa terra,* per hunc malleum dæmonem intelligi docet. *Appellatione mallei,* inquit, *antiquus hoſtis exprimitur*, ex altera verò adjungit, hujus vim à Servatore noſtro multùm debilitatam imò penitus infractam fuiſſe, & profligatam. Sicut enim ne fragiliſſimo quidem vitro malleus nocet, niſi fabri brachiis moveatur, & vibretur: ita Dæmon, etſi malleus is ſit univerſæ terræ, nemini quidquam obeſſe poteſt, aut certè paràm admodum, niſi hominis cujuſcunque demum viribùs extollatur, & hoc mediatore tentet, pervertátque homines alios. Ubi ergo, pergit ratiocinari Sanctus Doctor, irritas eſſe videt ſuas fraudum ſubſtructiones, aſtuta ſtratagemata & inſidioſas, quas ipſe admovit, ſuggeſtiones, ad ſocium quendam & amicum ejus, quem expugnandum ſumpſit, recurrit, & opem ab illo efflagitat, ut blanditiîs, exempliîs, & apparentium etiam rationum ſimulacrîs primam ipſe cladem inferat,

ferat, vias complanet, & animam adhuc innocentem & noxæ omnis ſugitantem in eas conjiciat anguſtias, ut manus denique victas illa porrigat. En! ipſa Sancti verba: ***Callidus***, ait, ***adverſarius, cùm à bonorum cordibus repelli ſe conſpicit, eos, qui ab illis valde diliguntur, exquirit, & per eorum verba blandiens loquitur, qui plùs cæterîs amantur.***

Et ut ſine ***malleorum*** & metaphorarum umbris jam loquamur, an non perpetuò quilibet noſtrûm hanc rem propriis uſurpat oculîs? an non videmus quotidie, mali alicujus ſocii captioſis perſuaſionibûs & peſtilentibûs exemplîs impii amici cujusdam innumeros ùt à bono abſtrahi, ita ad malum pertrahi? quódque dolendum maximè, an non præ reliquis in pientiſſimos hanc peſtem incumbere experimur? Finge tibi juvenem, qui devotioni ex aſſe ſit deditus, qui ſæpe ad ſacras ædes inviſat, qui frequenter ad Angelorum dapem cibandum, & ad ſacrum tribunal mundandum ſe ſiſtat, qui denique in ſenſibili carne Angelus ſit, &, ſi velis, ipſa innocentia. Nondum prô dolor! ne hic talis quidem ab his Sirenum cantibus eſt immunis. Accedet primò malæ frugis ſocius, & in quem orcus omnis fruſtra antè incubuerit, illi inter melleas blandi amoris ſignificationes jam in aurem ingeret, ***non eſſe tot pietatis exercitia juveni neceſſaria: ſtultúmque eſſe datâ operâ***

râ per tot melancholiæ fomenta tabeſcere: jam ætatis primitias & amœnum vitæ ver amœnitatibûs utique & jocis eſſe transigendum: ſatìs ſupérque eſſe, ſi ſenectus pietatis & devotionis detur exercitiis: denique ſtultum illum ingruente ſenectâ fore, qui in juventa plùs aliìs ſapere velit. Si ad hæc aures ille obturet, aut in eas quidem admittat has paralogiſmorum inanias, ſed pro meritis rideat & exſibilet, quas non tragœdias miſer ſibi excitabit? blanditias in iras convertent illi pſeudoamici, & pro melleis verbis, ſarcasmîs, ſannîs & amaro riſu pugnare incipient. Vocabunt hypocritam, qui non ipſorum more frontem poſuit; deceptorem dicent, qui non abjectis pudicitiæ & honeſtatis frenîs, laſcivientem Veneris gregem cum ipſis ſequitur; appellabunt exoticum, ruſticum, incultum, qui non ea, quæ ipſi malè amant, peſſimè ſectatur. Quidquid denique mordere, quidquid triſtitiam afferre, aut indignationem poteſt, id omne in melioris notæ juvenem plauſtratim effundent.

Et ſunt hæc dicteriorum genera ſæpe magìs noxia, quàm aperta vituperia, multíque, qui his reſtiterunt fortiter, illis tamen rejiciendis vincendísque non ſatìs pares, manus denique à ſanctitatis rigore remittunt, & innocentiæ caſtrìs omnino excedunt turpes & dolendi transfugæ! Si dein ad ſcelus etiam inducere, & non jam à bono tantùm abſtrahere quen-

dam juventutis floſculum illis ſtatutum eſt, ô! quibus non artificiîs illi utuntur! quàm bellis coloribûs aut delectationis naturalis, aut neceſſariæ animi remiſſionis, aut juvenilis levitatis turpiſſima vitia pingunt! incautam feram undique retibûs induunt, ſed eminus primò & ita, ut captam illa ſe ignorans in neſcio quam libertatem ſe emerſiſſe ſibi perſuadeat. Paulò pòſt verò concludunt retia ſceleſti aucupes, ubi jam fugere non eſt integrum, atque ubi demum advertitur libertatem heu! nullam inventam, omnem eſſe perditam, invitant ad jucundas animi remiſſiones, quæ prima facie nil mali, imò nil niſi boni præſeferunt. Abſcondunt melleîs delectationum eſcîs fatalem hamum, ne innocentem ille advertat, donec voratus pietati exitium tulerit.

Sed quid opus tot verba facere, ſi experientia ipſa demonſtratum nobis facit, maximam eorum, qui ſceleſti ſunt, partem malis ſociis jacturam innocentiæ debere, & miſeram in ſcelera omnia præcipitationem. Interroga, quemcunque velis, ſolutæ diſciplinæ juvenem, quæ cauſa fuerit, ob quam pudicitiæ & timoris DEI habenas excuſſerit; & audies, ſi verum fateri ille volet, reſpondentem, vel malitiam ſocii cujusdam facem ipſi ad ſcelera præluxiſſe, eáque mala, quæ bene ignorârit, peſſimè docuiſſe: vel perverſum condiſcipuli alicujus exemplum impuliſſe ſe in

illam

illam abyſſum, ex qua modò emergendi impotens ſit. Verbô: ex centum, quos orcus habet, nonaginta cum Seneca dicere poterunt: *Præcipitat nos traditus per manus error, alieniſque perimus exemplis.*

§. II.

NOn eſt ſub Cœlo virtus adeò ſolida, adeóque firma, quæ repetitos amici aſſultus ita ſuſtineat, ut non flectatur ſaltem. Adamas frequentes ictus non ſuſtinebit; quantô minùs fragile vitrum, humana, inquam, natura, maximè ſi non ad ardua incitetur, ſed alliciatur ad jucunda, ad facilia. Imminet iſtis ſuæ indolis pondere adducta, quantùm inhiabit, ſi ſtimulos quis currenti addat, & jam ruenti impetum etiam imprimat? eſto, retineat affectiones in ordine, atque intra carceres recta ratio, exempli tamen domeſtici vi adjutæ illæ cum tempore rumpent repagula. Et quamvìs fortè initiô damnum manibûs non eſt palpaturus, quod familiaritates hujuſmodi creant, palpabit tamen procedente tempore. Dapes quædam infectæ ſunt venenô, non noto illo & vulgari, quod mox, ubi ſumptum eſt, trucidet; ſed tecto, & doloſo, cujúſque vis tum demum deprehendatur, cùm illam omnem exeruit, *Scorpioni*, Bernardus monet, *non eſt in facie, quod formides: ſed caudâ pungit. Interius malum tegunt principia, poſteriora produnt.* Quàm multi olim nimium

mium fiduciæ in virtutis ſuæ ſoliditate repoſuêre, rati, accedente præcipuè propoſiti ſerii firmamento, inter tentationum omnium aſſultus & Sodalium blanditias, ſtabiles & immotos ſe fore, qui paulò pòſt non lapſi ſunt tantùm, ſed profundè etiam, & abyſsó ſcelerum abſorpti. Decreverat Alipius, dilectus Hypponenſis Præſulis Diſcipulus, ſemper porrò ludis Circenſibus, in quibus humanus ſanguis funderetur, ſuam præſentiam negare; verùm vix Condiſcipulorum aliqui, ut cum ipſis eòdem pergeret, rogârant, cùm ecce! reſtitit ille quidem ſed inconſtanter, & repetitis precibûs victus, comitem eis ſe addixit, egregio tamen munitus propoſitô, ne uno quidem oculi nictu cruenta illa ſpectacula uſurpandi. Sed & hoc animi decretum non diu invictum fuit. Cùm enim ſive ob inflictum alteri ab altero immane vulnus, ſive ob dextrè deluſum, ac declinatum ab alio hoſtis furorem, ſive ob alium infrequentem aliàs certaminis illius cruenti eventum elato univerſæ multitudinis clamore pulſatus eſſet, curioſitate victus, aperuit oculos, fixit aſpectum, & certaminis ſcelere, non ùt unus de multis, ſed ita eſt delectatus, ut, qui ſeductus acceſſerat, rediret ſeductor, nec reverteretur tantùm, ſed alios quoque ſecum adduceret. *Spectavit, clamavit,* conqueritur, qui hæc *l. 6. Conf c. 8.* refert, S. Pater, *exarſit, abſtulit inde ſecum inſaniam, qua ſtimularetur*

vetur redire non tantùm cum illis, ſed præ illis, & alios trahens.

Idem frequenter non incautæ ſolùm juventuti, ſed viris etiam longo rerum uſu ſpectatis, evenit. Nulla eſt enim tam oculata prudentia, quæ defendere nos poſſit à tot aſſultibus, quibûs undequaque nos aggrediuntur mali ſocii, jam laudum & blanditiarum dulcè titillanti venenô, jam vituperiorum, ſeveritatíſque neſcio cujus, telîs nos petentes. Levia initiô petunt, ut majora deinceps, ſi poſtulent, non negentur, & faciliùs eò perducere ipſis detur, quò perventum iri nemo quiſquam antè crediddiſſet. Nullum igitur cautelæ genus, quibûs blandi hi hoſtes arceri poſſint, eſt nimium. Nam ùt Comicus dudum monuit:

Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, etiam dum cavet,
Etiam cùm caviſſe ratus eſt, ſæpe is cautor captus eſt.

Nec ſufficiens eſt Clypeus, dicere: Audiam illum invitantem, ſed ille non videbit me ſequentem. Aures ipſi inhumanus non negabo, ſed ſaluris meæ incurioſus, cor eidem nunquam concedam. Socium ipſi me jungam, vitiis comitatum non præſtabo. Hæc, inquam, dicere non ſufficit. Qui picem tangit, aut hæret illi, aut, ſi expediat ſe, ſaltem inquinabitur. Opus eſt quamprimum renun-

tiare hujuſmodi familiaritatibus, & ne propinquum quidem illis eſſe velle. Verum eſt, quod dixit Cato apud Ciceronem de amicitia, *tales amicitias diſſuendas magìs eſſe, quàm diſcindendas;* Divus tamen Franciſcus Saleſius plus aliquid petit, & ſecurius: *Abſcindite*, inquit, *reſcindite, abrumpite; neque enim inanes & fatuæ amicitiæ paulatim & per otium ſunt diſſuendæ, ſed dilacerandæ, vincula hæc non enodanda ſed abrumpenda & præſecanda.* Didiciſſe tam magnanimum conſilium à Divo Chryſoſtomo potuit, qui ſuper illa Chriſti verba: *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum & projice eum abs te*, diviné profectò commentatur, *non hæc*, inquit, *de membris dicta ſunt; ſed de amicis, quos, quaſi membra nobis conjunctos ducimus. Nihil enim ita perniciosum eſt, ùt conſuetudo pravorum. Ideo magna quadam cum vehementia juſſit amputandos atque projiciendos*, licèt hæc abſciſſio non minori nobis dolori ſit futura, quàm ſi membrum putreſcens à reliquis, ne & ipſa corrumpantur, avelli juberemus.

Oportet adversùm tales eo modo ſe habere, quo modo adversùm contagioſa lue infectos nos habemus. Fugere illos oportet, & providere, ut magnum ſemper nos inter ac illos chaos, & intervallum interſit. Sicut enim, ſi aut manu ab illis, qui venenô, quod corpori noceat, infecti ſunt, contrectemur, aut corruptus

ruptus illorum ſpiritus per os peſtilens nobis afflctur, venenum, mortémque jam hauſimus; ita ſi palpum flagitioſi & venenô, quod animam necet, infecti Sodalis, ſi poppysmos, ſi mortiferum oris verborúmque halitum non longè à nobis arcemus, actum eſt, periîmus, & hauſtum ex hoc congreſſu virus pietati, ac innocentiæ exitium miſerrimè paulò pòſt creabit. Sed quid dico, eodem ſtudio corporis animíque luem eſſe fugiendam? immensùm quantùm majore ſolicitudine hæc cavenda eſt; quoniam dici vix poteſt, quantò hæc, quæ animo inſidiatur, ſit illâ, quæ corpus perimit, contagioſior. Boëtium audi *l.3. Conſol. Philoſ.* & nimium me non dixiſſe comperies, cùm eandem aſſertionem aliis ſolùm verbîs idem ponat. *Nulla*, inquit, *nulla peſtis perniciosior eſt ad nocendum, quàm familiaris inimicus.* Si verò hæc ita ſunt, quæ obſecro! tua eſt inſania, quòd illis amicitiæ probris, illis fœdis, illis impuriſſimis ſocienis nuntium remittere non audeas? Si ille, quem ipſe nôſti, & ſtultè deperis, amicus tuus peſte afflaretur, non haberes jam tantum animi, ut illum accederes, relinqueres illum, & ab ejus conſpectu neſcio quò, etiam profugeres: quomodo ergo audes colloqui cum illo, ambulare, ludere, jocari, quomodo indiviſus lateri audes hærere, poſtquam nôſti mores illius, verba, facta venenum, peſtem, mortem non jam corpori ſed animæ afflare? quid

eſt inſanire, ſi hoc non eſt? Quiſque erit depoſitæ ſtultitiæ, ſi tu non es, qui evidenter pluris æſtimas perituri corporis valetudinem perituram, quàm immortalis animæ ſalutem immortalem?

Sed ſapere tandem incipe, neque permitte, per unici boni tui amorem te obteſtor! imposterum etiam, ut peſtilentium ſociorum quisquam aut lateri tuo hærere, aut verbulum etiam tibi loqui audeat. Solicitè cavendum, imò magnopere timendum tibi eſt, ne hujusmodi Sodalis morbum tandem ſuum, & mores impios tibi affricet. Temeritas eſt, non fiducia, tantum de tua virtute præſumere, tantum intentioni non malæ fidere, ut credere audeas, poſſe te mala frequentare conſortia, quin fuliginem illa tibi, imò quin Venereos & turpiſſimos ignes, aliáque ſcelera illinant. Gregorium Theologum audi, & quid ille temerariis ac præfidentibus, qualis tu es, inclamet, quid eventurum aſſerat, altè in animum demitte. *Cave*, ait S. Doctor, *cave, ne ullum flagitioſum Sodalem tibi adſciſcas. Peſtis quippe membra validiſſima* (& quæ, ſi loqui poſſent, ſe maximè immunia fore eſſent jactatura, ut tu te fore jactas) *peſtis validiſſima membra invadit.* Altè, inquam, in animum hæc demitte, & maturè perpende. Si validiſſimis ille, & robuſtæ etiam expertæque virtutis hominibus hæc ominatur, quid juvenculis, quid tibi augurabitur, cui velut

teneræ

teneræ mollique ceræ vitiorũ formæ nullo negotio imprimuntur, quique experientiâ, conſtantia,fortitudine deſtitutus & inermis, illos utique non niſi rariſſimè ſuperabis adverſarios, à quibus fortiſſimi etiam & veterani heroes, *validiſſima membra* toties debellantur.

§. III.
EXEMPLUM.

QUàm noxia ſit pravorum familiaritas, juventuti maximè,nemo, credo, explicavit usquam meliùs, quàm Divus Auguſtinus, nemo fortè, cui fides magìs haberi debeat. Nam ab experientia ille argumentatur, & ab hac, quod ex aliorum ſermone reliqui aut meditatione compererunt, ille condidicit, quidquid in medium profert. Illum igitur ipſum ſuis verbìs ſua recenſentem audiamus. *O! amicitia*, exclamat, *nimis inimica! ſeductio mentis inveſtigabilis, & avida aliorum ruina ſub ludi & joci ſpecie. Quando dictum eſt mihi à* Sodalibus, *eamus, faciamus, puduit non eſſe impudentem. Præceps ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quando audiebam eos jactantes flagitia ſua & tantò glorian-tes magìs, quantò magìs turpes eſſent, & libebat facere non ſolùm libidine facti, ſed etiam laudis. Quid dignum eſt vituperatione, niſi vitium? ego ne vituperarer, vitioſior fiebam, & ubi non ſuberat, quô æqua-*

rer perditis, fingebam me feciſſe, quæ non feceram, ne viderer abjectior, quò eram innocentior, & ne vilior haberer, quò eram caſtior.

Ecce! cum quibus Comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, & volutabar in cœno ejus, tanquam in cinnamomis ac roſis. Et in umbilico ejus quò tenaciùs hærerem, calcabat me ſeductor, quia eram ſeductilis. Heu! quem fructum habui miſer aliquando in iis, quæ nunc recolens erubeſco, maximè in illo furto, in quo furtum amavi, nihil aliud. Et tamen ſolus id non feciſſem, ſic recordor animum tunc meum, ſolus id non feciſſem. Ergo amavi ibi etiam conſortium eorum, cum quibus id feci? non ergo nihil aliud, quàm furtum amavi, imò verò nihil aliud, quia & illud nihil eſt. Hîs, aliíſque lamentis *l. 2. Conf. c. 2, 8. 9.* à malis Sociis creata ſibi damna deplorat vir hic Sanctiſſimus. Neque hoc contentus, ut Juventutem ab hac peſte, quam ſibi adeò pernicioſam fuiſſe meminerat, quàm longiſſimè removeret, pretioſiſſimum illi librum *de Amicitia* ſcripſit, in quo docet accuratè quomodo mala à bonis, hæc à malis conſortiis ſint diſtinguenda. Hæc, ait, vitiorum & ſcelerum eſſe congregationem, quæ lumine rationis deſtituta, aurigante imprudentia, miſerabili vinculô à paſſionibus ſolutis ad flagitia quævis committenda rapiatur; illa verò virtutum concordiam appellat, cui

pruden-

prudentia Rectrix & juſtitia moderatrix præſit, atque ubi *ſic amantes nihil poſſunt velle, quod dedeceat, nihil, quod expediat, nolle.*

CAPUT II.

Indicia, quorum ope poſſit amicus verus à falſo diſcerni.

§. I.

DUo venenorum genera recenſet Ariſtoteles *nat. quæſt. L. 3. c. 25*, unum apertum ac manifeſtarium, quod odore ſaporéque mox deprehendi poſſit, alterum tectum dolosúmque, nec niſi ſerò, & factô jam exitiô, agnoſcendum, *qualia ſunt magnorum artificum venena, quæ deprehendi, niſi morte, non poſſunt.* Quàm facilè vitatur illud, tam difficulter hoc caveri poteſt. Idem in familiaritatibus evenire, idem timeri debere, nemo dubitat. Aliqui enim apertè impudentes ſunt, & absque rubore palàm licentioris vitæ ſolutæque ac liberæ diſcipliuæ faciem præſeferunt. Sunt in ſermone obſcœni, in converſatione effrontes, temerarii & laſcivi in geſtibus, delectationum ſenſualium mancipia; gloriantur de flagitiis tanquam de egregiè factis, virtutes cavillantur ùt albæ mentis deliria, ad vitia incitant perfrictâ fronte, Epicureúmque illud *nunc ede, bibe, lude*

paſſim

paſſim occinunt ſine DEI, ſine hominum reſpectu & absque eo, ut malum ſaltem boni ſchemate veſtitum, obtrudant aliqando, flagitia etiam ùt flagitia, & quia ſunt flagitia, laudare amant, & ſuadere. Denique liberrimè ſuos alloquuntur illis ipſis verbis, quæ impii *Sapient. 2.* dicuntur jactitare: *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant, nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Ubique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra* Ab hoc impiorum genere, qui ex Babylonico calice toxicum nobis propinant nulla mellis dulcedine illuſum, ac tectum, cavere & ſe defendere difficile non eſt. Nam animus ingenuus, & cui ipſo cum lacte honeſtas eſt inſtillata, horret, deteſtatur, & remis velisque tanquam à facie colubri fœditatem fugit & enormitatem peccati, quod tale eſſe non ignorat. Illis verò, qui ad ſcelera hortari audent, & inducere tentant, ingens animus, qui malum erubeſcit & DEUM filiali timore veretur, candidè & ſine fuco reſpondet, quod invicta Virago illa Sancta Agnes fœdo amatori objecit: *Diſcede à me pabulum mortis, fomes peccati.* Animus meus in fœdis his, quæ brutis etiam communes ſunt, voluptatibus quieſcere non poteſt, ſed in veris illis, quas cœlum pluit, quarúmque DEUS fons & origo eſt,

Alii ex adverſo ſimulati ſunt. Innocentem enim præſeferunt agnum, cùm intù. autem,

tem, ut Salvatoris phraſi utar, ſint lupi rapaces, ſéque in familiaritatem & animum inſinuant, omnes alios, quàm animó ſpectent, fines à ſe deſignati ſimulantes. Demonſtrabunt ſe, mi Juvenis! tuæ ſalutis mirùm quantùm cupidos, honoris tui ſtudioſos, virtutum tuarum laudatores, donec arctis jam vinculîs, & plùs quàm domeſtica neceſſitudine ſibi te adſtrinxerint, tanquam fatali vinculô, quo infelicem, ad haras & ganeas & neſcio quæ, inferni veſtibula rapiant. Ab his decipi, ab his ſeduci, ô! quàm periculoſæ res plena eſt aleæ! maximè ſi in Juvenem hæc calamitas incumbat, qui ſit pectoris ſynceri & candidi, quíque alios ſuo pede metiri ſolitus, vix poſſit, ut aliquam latentis mali ſuſpicionem concipiat. Quapropter laturum me operæ pretium exiſtimo, ſi hîc demonſtravero ſigna aliqua & notas, quibûs amici boni à malis, noxiis, ſeductoribus poſſint diſtingui, licèt ſciam aliîs jam paſſim locîs de hoc ipſo argumento aliqua à me eſſe dicta.

Primò igitur animadvertendum eſt, hos orci emiſſarios, pietatis ſchemate larvatos, non auſuros unquam aliquid apertè, ac manifeſtè malum ſuadere, præſertim, cùm advertant, rem ſibi eſſe cum animo verecundo, & qui peccati ſenſum etiamnum habeat. Huic enim ſenſim ſe inſinuant & pedetentim, non illicitum aliquid, ſed honeſtî etiam & neceſſariî ſpeciem præferens ſuadentes, dum invitant

vitant jam ad hortenſia, jam ad deambulationes, jam ad conventicula alia, quæ, cùm mali in iis nihil appareat, ùt facilè parùm attentis perſuadentur, ita plerumque ad occulta offendicula impingentes plurimos in calamitatum abyſſum præcipitant. Sunt, ſi Ambroſio fides eſt, hujus farinæ Sodales tectis ſcopulis, ac periculoſis Syrtibus ſimiles, ad quos, quisquis incautè alliditur, naufragii manifeſtum diſcrimen incurrit. *Habet ſuos Scopulos verecundia, intemperantium conſortia, qui ſub ſpecie jucunditatis venenum infundunt bonis.* l. 1. Offic. c. 20. Qui in abyſſos præcipitant coopertas amœnis frondibûs & jucundo ſecuritatis ſchemate, qui venenum infundunt ac mortem, vitæ, pharmacíque ſpecie doloſè veſtitam.

Neque ſufficit animô ſyncero has Societates adire, ac voluntate puritatem, vitæque innocentiam ſartam tectam contra quascunque ſive fraudulentas machinas, ſive apertas aggreſſiones conſervandi. Nam animus, ut ut rectus, & intentio quantumlibet ſyncera & ſancta flammæ, fumóque perſimilis eſt, quæ licèt ex ingenita quadam virtute altum petant, & ad ſphæram ſuam rectiſſimâ viâ tendant, ad quemvis tamen molliſſimi etiam venti flatum inclinant ſeſe, atque à ſua rectitudine declinant. Si ſatìs tuti eſſe cupimus, illud, quod ferè unum ſufficit, diligenter adhibendum eſt, quo cautiores ſeſe ſolent

præ-

præmunire. Rigidè Examinandæ nobis ſunt invitationes amicorum, quorum fides probitáſque perſpecta nobis non eſt, quotiescumque ad recreationes non ordinarias allicimur, neque timendum, ne injuriam faciamus invitantibus, ſi illorum verba & promiſſa, etiam cùm nil niſi bonum prima fronte præſeferant, ſeveriori trutina libremus: frequenter enim ſub melle etiam venenum latet, quod tum primùm deprehenditur, cùm jam non eſt medicabile. Imò dona quoque & munuſcula, quæ abſque ratione aliqua ab hujus furfuris hominibus fortè obveniunt, ad ſeverum examen ſunt vocanda. Nam donîs hîs nil inſidioſiùs, nil magìs periculoſum, ùt cum quibus incauti, piſcium inſtar, abſconditum hamum ſæpiſſimè ſolent devorare. Martialem audiamus, cui ſola naturalis ratio veritatem hanc detexit:

Ut fallax (inquit) *avidis indulget piſcibus hamus,*
Sic potes inſidias dona votare ſua.

Alterum fallacis & malè tutæ amicitiæ ſignum, ùt Auguſtinus docet, tum datur, cùm quis alium ab illis laboribus operibúsque, quibus ſecundùm ſtatum ſuum occupari deberet, aut retrahit, aut retrahere ſaltem conatur. E. G. cùm bonarum artium ſtudioſum à libris, Eccleſiaſticum à miniſteriis, à cauſarum procuratione Cauſidicum, à laboribus artifi-

artificem abducere nititur, & ad deſidiam inducere, quæ à Sapiente ſcelerum Magiſtra nuucupatur Eccl. 33. 29. *Multam malitiam docuit otioſitas.* Et ab Angelico Doctore *Hamus Diaboli*, quibûs verſutus hic hoſtis innumeras animas ex vitæ hujus Oceano ſibi expiſcetur. Habendi tales amici ſaltem ſunt pro ſuſpectis, quia, hoc ipſo quòd à bono faciendo retrahunt, ad mala committenda, ſi non impellunt, movent ſaltem & inclinant. Veriſſimum enim eſt, quod Chryſoſtomus enuntiat: *Hom. in Ep. ad Epheſ. Nihil boni facere eſt aliquid mali facere*, ſaltem in cauſa, cùm otium malarum cogitationum, & affectuum cogitationibûs illîs pejorum, ſentina ſit & fœcunda ſcaturigo. Multò manifeſtius malitiæ ſuæ & perverſitatis tectæ ſignum daret, qui non ſolùm à dictis operibus, ſed etiam à pietatis & virtutum exercitio illum, cui ſe applicuit, dimoveret, qui dehortaretur à frequenti Sacramentorum uſu, à laudabili in Marianis Cœtibus præſentia, ab ædium ſacrarum Viſitatione, quíque, ut hoc conſilium ex animi ſententia ſibi ſuccedat, non rationibûs, ſaltem apparentibûs, ſed opprobriîs, dicteriîs, & mordaci dente Sancta hæc opera appeteret, illa jam vocando Monachorum & devotulorum negotia, jam nobilitatis probra & dedecora compellando, jam ut fungos, & vecordes eos, qui his ſe dedunt, aliorum etiam ſannis ac ſibilis propinando.

Signum,

Signum, eô, quod jam dictum eſt, multò etiam pejus foret, ſi piorum & Sanctorum locô, à quibus abſtrahit, ad choreas, ad convivia, ad luſus, ad nocturna conventicula invitaret, in quibus, utì D. Franciſcus Borgia dicere ſolebat, tria magni pretii bona peſſum dantur, pecuniæ videlicet, tempus, & frequenter admodum ipſa etiam anima; amici ſingulariter, qui & Caſtitatem ipſe ſuam jam perdidit, & aliorū etiam perdere propoſitum ſibi habet. Signum eſt, dare illi, cui ſe applicat, libros obſcœnos de impuris amoribus, converſationibus diſſolutis, aliíſque hujusmodi agentes, quíque legi non ſoleant, quin in legente puritatis candor aut extinguatur omnino, aut ſaltem fœdè coinquinetur. Deplorat Card. Baronius infelicem quorundam Juvenum Metamorphoſin, qui *Paſtore Fido*, libellô, quem ſeductor nonnemo iis ſuppeditaverat, perlecto, ex Innocentibus & omnis immunditiæ fugitantibus agnellis, in obſcœnos porcos tranſierant, in carne & ſanguine, inque fœdiſſimarum voluptatum luto ſeſe volutantes.

Relinquo hîc Philoſophis moralibus aliud præter allata amicitiæ falſæ & periculoſæ argumentum, tanquam hujus loci non ita proprium, quale eſt, hærere indiviſum Sodalis lateri, cùm proſperè geruntur omnia, mox verò ab illo ſe ſubducere, cùm fulminans Cœlum ſequiorem fortunam minatur, de quo egregiè canit Poëta:

Nemo

Nemo ſatis veros inter dignoſcet amicos
Et falſos, quando fata ſecunda fluunt,
Aſpera ſors lydius lapis eſt, ac aſpera quisquis
Exantlanti aderit, verus amicus is eſt.

§. II.

UT verò ſæpè in malorum Sociorum cognitonem allata hactenus indicia nos ducant, frequentiùs tamen ex alio nullo, quàm ex ſermone amici alicujus perverſitas deprehenditur: níhilque latentem malignitatem prodit certiùs, quàm lingua. Eſt enim hæc quaſi pulſus cordis, eóque languente ipſa quoque non poteſt non langueſcere, & moveri quidem, ſed ſine ordine, ſine lege. Hinc Seneca: *Imago animi*, inquit, *ſermo eſt. Qualis oratio, talis vir.* Solent quidem verſutiores initiô ab obſcœnis, imò & à turpiuſculis & vel tantillùm immodeſtis cavere, ne auditores pudoris ſui etiamnum tenaces à ſe in fugam convertant; Verùm diu ſibi non conſtant, & cùm paulàm in oratione provehantur, prorumpunt in ſolidum ſuum cœnum, quin ipſi advertant, & *ex abundantia cordis* excuſſo freno, quod aſtuta præſentium reverentia injecerat, demum *os loquitur.* Evenit nempe in internis talium morbis, quod in externis uſuvenire ſolet, & ſicut non in ipſis ſtatim febris cujusdam principiis linguæ infectio apparet, ſed procedente dein tempore,

ut medici ex ejusdem inſpectione morbi ſtatum dignoſcere poſſint ; ita non ſtatim mens ſana eſſe dicenda eſt , ſi in ſermonis principio illa ſibi conſtet , & in ſcabioſos ſermones non deflectat , ſed progreſſus ſpectandi ſunt, ex quibus Cordis animíque affectiones facilè deprehenduntur , & quamprimum in dicta obſcœna, in actionum turpium laudes , in morum compoſitorum deriſionem, in putidos de profanis & laſcivis amoribus ſermones lingua ſolvitur , concludendum ſine mora eſt , talia effutientis mentem illis , quæ ructat , excrementis vitiatam , illóque venenô , quod vomit , infectam eſſe. Quid quid enim argutentur malè cauti aliqui , verum eſt , & longa jam experientiâ comprobatum vetus illud verbum , quo aſſeritur vas non alium halare odorem , quàm illum, qui liquori in ſe contento ſit proprius. Verùm non concludendum tantùm eſt , mentem talis locutuleii inſanam eſſe & ſontico morbô afflatam ; ulteriùs progrediendum , & à talium amicitia ac familiaritate ita diſcedendum eſt , ut qualiscunque amoris , quibûs iiſdem adſtringebaris , vincula non ſolvas , ſed moræ impatiens rumpas etiam , & diſcerpas. Periculoſum profectò eſſet expectare , dum ulteriùs procederetur , timendúmque , ne triſtis experientia doceret , quòd *corrumpant bonos mores colloquia prava.* Nam habent hoc pſeudoamici hi , ut à turpibus verbis ad ſermones

mones illecebroſos, ab his ad nefanda quæque opera gradum promoveant, rati non ſine ratione, quòd quisquis verborum non horret ſordes, operum quoque fœditatem non ſit adeò declinaturus. Atque ita à parva ſcintilla contempta magnum, luctuoſum, & æternum ſæpe excitatur incendium.

Quòdſi hæc amicorum ſimulacra horrere etiam ipſi videantur ſermonis laſciviam, & geſtuum luxuriem, atque blanditiîs tantùm & adulatione, quæ ab Auguſtino *ſeductio facta cum fallaci laude* dicitur, aditum moliantur, majori etiam cautela opus eſt, & ſolicitè omne cum illis commercium eſt declinandum. Ut enim ipſe divinus ſpiritus in Proverbiis monet. *c. 29 5. Homo qui blandîs fictîsq; ſermonibûs loquitur amico ſuo, rete expandit greſſibus ejus*, tam perniciosſum, aut eo ſaltem cum damni & exitii periculo conjunctum, ut unanimi ſententia ſacrarum profanarúmque diſciplinarum magiſtri, Theologi, inquam, & Morales Philoſophi ſtatuant, meliora eſſe magíſque deſiderabilia conjecta in nos ab Inimico acria vituperia, quàm amici, maximè deceptoris, blandas mellcáſque aſſentationes. Illîs enim defectus noſtri ob oculos nobis ponuntur, ut poſſint corrigi, hîs verò iidem nævi aut conſpectui ſubducuntur, aut velut ſingularia decora per fraudem ſummè pernicioſam proponuntur nequaquam ùt extergendi, ſed ùt augendi & magnô etiam

ſtudiô

ſtudiô conſervandi. Hinc quemadmodum apertè inimicus leoni comparatur, qui minora animalia rugitu exterret, ut fugere ejúsque furori ſubducere ſe poſſint; ita adulator pantheram imitari dicendus eſt, quæ ſuavi, quem quaquaverſum exhalat, odore, animantes alias *ſuaviter allicit, ut crudeliter enecet.* Alexander illud Aſiæ fulmen, & rei militaris æquè ac politicæ intelligentiſſimus, ùt inter primæ admiſſionis amicos Hephæſtionem habebat, qui opportunitate capta defectuum illum admonebat, quos commiſerat, ita nonneminem Philoſophum, qui omnia ipſius facinora, etſi mala, adulatione laudibúsque efferebat, cujúsque familiaritate initiô gaudebat, paulò pòſt procul à ſe faceſſere juſſit. Rogatus Rex ſapientiſſimus facti cauſam, reſpondit, *Si mala, quæ facio, non intelligit, inſipiens eſt; ſi intelligit, & non arguit, eſt malevolus adulator. Utrovìs nomine dignus eſt, qui à regia familiaritate arceatur.*

Atque hinc Tullius *L. de amic.* ſolicitè & tanquam peſtem adulatorem quemlibet fugiendum eſſe docet. *Sic habendum eſt*, inquit, *in amicitia, nullam peſtem eſſe majorem, quàm adulationem, blanditiam, & aſſentationem. Quia,* quod Doctor Angelicus notat *2. 2. q. 115. art. 2. quia adulatio eſt contra dilectionem proximi, quem in peccato fovet, vel cui eſt occaſio peccandi,* quando illius culpas non ſolùm diſſimulat, ſed pro-

bat etiam, & tanquam egregiè geſta commendat, adeò, ut, qui in talem aſſentatorem incidit, vitium deinceps pro virtute amet, in eo ſibi placeat, illo glorietur, illúdque committere non vereatur, de quo reprehendi non timet, ſed ſperat laudibûs etiam efferri. Nullo ſymbolo adulationis indolem aptiùs explicavero, quàm olei. Ut enim hoc non ſolùm, quemadmodum medicorum Princeps ait, *cum rebus frigidis friget, cum calidis calet*, rerúmque, quibus miſcetur, naturæ ac indoli ſe aptat; ſed illorum virtutem activam frequenter etiam acuit, & plurimùm adauget, quod in igne videre eſt, qui multum ab infuſo oleo vigoris concipit; ita omnino adulator aliorum ad genium ſe fingit, ignémque concupiſcentiæ, aut appetitûs iraſcibilis, ſi illi ſe applicet, adeò non extinguit, ut inflammet etiam, ac in incendia provehat innumeris ſæpè lacrymîs non extinguenda, ſed duntaxat incaſſum deploranda. Veriſſimè nempe Plutarchus dixit, cùm amicum aſſentatorem, traditorem, compellavit, qui dum malum nobis pro bono propinat, vitium pro virtute, venenum pro pharmaco, ſub ſpecie benevolentiæ, malè nobis & peſſimè vult, damnáque in nos inducit multô ſanè majora, quàm quæ apertè malevolus quiſpiam datâ operâ poſſit in nos concitare. Verum quidem eſt, advertit nos nonnunquam, laudes hujusmodi ex adulationis ar-

mo-

mario depromptas eſſe, at non ideo ſtatim innoxia illa ſunt: atque etiam tum peſtem aliquam in nos exerunt. Dum enim delectant, & placent, dum vacivas patuláſque illis aures præbemus, dum auſcultamus eos, qui fortes nos, & pudicos, & omnium Virtutum ornatu comptos prædicant, in eam denique ſententiam delabimur, ut contra nos fallaci impoſtori perfrequenter credamus. Obſervavit id Seneca, dum ſcripſit: *Quidquid in nos adulatio congerit, tanquam debitum pendimus. Optimos nos eſſe affirmantibus aſſentimur, cùm ſciamus illos ſæpè mentiri.* Atque hinc ſapientiſſimus hic vir adulationes omnes, laudéſque ita improbat, ut neque multùm affectata quædam obſequia veris amicis convenire aſſereret: hæc enim odoramentis comparari dixit, quorum ùt moderatus uſus reficit, ita immoderatus faſtidium & nocumentum creat. Quod & Martialis exiſtimavit, dum ad Sextum obſequiorum hujusmodi cupidiſſimum ſcripſit *l. 2. Ep. 40.*

Vis te, Sexte, coli: volebam amare.
Parendum eſt tibi: quod jubes, colêris.
Sed ſi te colo, Sexte! non amabo.

§. III.

EXEMPLUM.

DUbium eſt, an notiſſimum illud innocentiæ prototypon Divus Bernardinus Se-

nenſis fugam malarum Societatum nos efficaciùs docuerit prudentiſſimîs monitîs, quæ ſparſim per aureos ſuos tractatus nobis reliquit, an verò potentiùs fortiſſimîs inculpatæ vitæ exemplîs perſuaſerit. Etiamdum parvulus cùm ab amita ſua, piiſſima Matrona, frequenter ſibi occini audiviſſet illud Davidis monitum: *cum perverſo pervertêris, & cum innocente innocens eris*: ùt ingenti ſtudiô malæ frugis ſocios declinabat, ita ex adverſo bonum quemque ex condiſcipulis ſibi adjungebat, chariſſimos habere ſolitus tanquam ſibi ſimiles, qui linguâ caſtâ & innocentî, modeſtóque corporis totius habitu & verecundiâ ſeſe commendâſſent. Quare eo erat apud omnes loco, ut nemo unus ipſo præſente verbulum licentius proferre auderet, atque illi etiam, qui præ reliquis ſolutæ erant diſciplinæ, ſi fortè non ſatìs caſta loquentibus ſanctus ſuperveniſſet, aut ſilentium indicerent ſuis in veneris hara contribulibus: *Tacete, Bernardinus adeſt*, aut alia in medium proferenda monerent: *Mutemus Sermones, Bernardinus adeſt*. Contigit aliquando, ut cum ſyndromorum nonnullis neſcio quo innocentis ſive luſûs ſive confabulationis genere ſe recrearet, atque nobili cuidam, qui ſe illis ſeriùs adjunxerat, verbulum unicum obſcœnum, morum non ſatìs caſtorum argumentum, fortè per imprudentiam excideret. Dici vix poteſt, quantùm ea res ſanctum moverit. Certè ve-

recun-

recundiâ ſimul, ac divino quodam zelo accenſus, atque nec loci, in quo erant, nec nobilitatis, qua reus fulgebat, rationem habendam ratus, alapam impudenti inflixit, ac ita quidem, ut omnem viciniam ea adverteret quidem, neminem unum tamen ob ſummam de illius integritate opinionem in imprudentiæ vel temeritatis ſtuporem daret. Quin nec ipſe caſtigatus contrà vel verbulum mutire eſt auſus, meritum utique ſe exiſtimans, qui emendatioris ſermonis vel ſic moneretur.

Potuerant hoc facto doceri omnes, qua modeſtia illum eſſe oporteat, qui ſancti Juvenis familiaritate frui optaret. Verùm aut indocilis admodum eſt prava conſuetudine vitiata hominū indoles, aut eſſe ſaltem affectat. Erat hujus farinæ aliquis, qui ovinæ pellis fiduciâ in Conventum, cui Bernardinus intererat, audenter ſeſe ingerens, poſtquam ſimulatis laudibûs ſanctum devinxiſſe ſibi eſt viſus, eò denique impudentiæ devenit, ut verbîs, ac nutibus caſtiſſimum Juvenem ad turpia neſcio quæ patranda pellicere, ac invitare auderet. Credebat initiô Bernardinus ſatìs ſe peſti huic occurſurum, ſi tergum verteret, & in fugam ſe daret, neque illum opinio decepit, cùm hoc medio incolumis evaſerit; quia tamen in mentem venit, evenire poſſe, ut redeat obſcœnus veneris pullus, atque iteret illecebras, decrevit inſigni factô, ſi ſe occaſio da-

ret , ſecuritatem pro futuro etiam tempore ſibi comparare , eúmque , ſi porrò tentare perſeveret , pro meritis excipere. Transeundum illi fortè erat per plateam , in qua ſæpiùs aliàs in tartaream illam harpyam inciderat. Quare ſocios , quibuscum in eam rem antè jam convenerat , monet , attendant & in hoſtem , ſi aſſultum ille fors tentet , egregiè pro virtute invehantur ; illi verò certatim mox ſaxa congerere , opplere ſaccos , in impudentem ingentes iras concipere , optaréque , ut etiam adſit. Vix ita res compoſitæ erant , cùm DEO ita permittente prodit ſceleſtus , fabæ in ſe cuſæ ignarus antiquam Cantilenam ingrato utique ſonó , at ſibi ſolùm noxiô, occinit , irásque antè jam in ſe ardentes tot incrementis , quot verbis adauget. Noluiſſet Sanctus, quæ ipſius erat manſuetudo , vidiſſe hominem ; ùt verò aggreſſum ſe animadvertit , ùt vim propemodum à laſcivo ſibi fieri , tum verò juſto furore animatus , generoſi Juvenis Davidis ad inſtar, qui lapide *percuſſit Philiſtæum in fronte*, primus lapidem in ſcelus projecit, & ſociis , ut idem facerent , verbîs ac nutibus animos addidit. Et actum fuiſſet de vita fortè infelicis, niſi in fugam mox ille præcipitem ſe conjeciſſet , ſícque horridam ſaxorum in ſe undequaque volantium grandinem effugiſſet. Hoc nempe merentur amici tales , ſic maligno venenô turgentia corda ex ſerpentinis verbo-

rum

rum ſibilis deprehendi, ſic aut declinari debent ad ſceleſta invitantes, aut rejici. Tu, mi Lector! ut finem faciamus huic capiti & hiſtoriæ, altè animo imprime, quod vitæ ſcriptor, poſtquam dicta de ſapienti hoc Juvene recenſuit, tanquam colophonem addit: *Etſi*, ait, *omnibus jucundum, affabilem, & officioſum ſeſe exhiberet, non tamen, niſi bonis, maximè autem ſpiritualibus, familiaris eſſe voluit. Surius in vita S. Bern. Senenſ. ad diem 20. Maii.*

CAPUT III.

Ingens malitia ſcandali inter amicos.

§. I.

LIcèt Scandalum quodcunque deteſtandum ſit in eo, qui præbet, illíque, cui præbetur, ſummopere pernicioſum; nihilominus tamen magìs abominabile magíſque noxium eſt illud, quod amico ab amico præbetur. Nam ex una parte malum faciliùs multò ex prælectione amici & familiaris addiſcitur, & ex altera, ùt peſtis hæc minùs intra amicos indecora exiſtimatur, ita minùs horretur, ita certiùs hauritur. Agnovêre id ipſi etiam Ethnici, quos inter Juvenalis, *Satyr. 14. Velociùs*, ait, *& citiùs*

nos corrumpunt vitiorum exempla domeſtica. Imò ipſa quotidiana experientia hoc docet, qua ſcimus, ovem ſcabioſam unam ſua cum grege reliquo ſocietate plus nocere, quàm voraciſſimum quemvis lupum repetitis etiam violentis aſſultibûs. Quemadmodum enim naturæ, quæ inter oves eſt, ſimilitudo facit, ut omninò connaturaliter Sonticum ſcabiei malum ab ove in ovem propagetur, diſſimilitudo verò, & ingenita illa erga lupos, infenſiſſimos ſuos hoſtes, antipathia, ut magìs ab illis ſibi caveant, & veſtigia etiam eorundem horreant, fugiántque; ita quoque Sodalis, alteri ſtricta neceſſitudine ſibi conjuncto faciliùs nocet peſtilenti morum exemplô, quàm exterus, etiamſi hic pejor longè ſit, & plurium ſcelerum ac flagitiorum fœtorem exhalet, cùm illum quidem ob familiarem aliàs converſationem amare ſoleamus, hunc verò fugere, &, ſi damnum ab illo timendum ſit, etiam deteſtari. Magìs nempe vel ſcintilla immediatione ſuppoſiti, ùt ſcholæ loquuntur, applicata nos urit, quàm immenſa illa ſolaris Ignis moles remota.

Poterant hæc pauca ad faciendam propoſito fidem ſufficere: ſed quoniam multi, niſi rationibûs obruantur, manus dare neſciunt, pergamus, & rationes rationibûs, quæ in ubere hac materia deeſſe non poſſunt, cumulemus. Decernunt leges majoris criminis reum, ac graviori pœna multandum eſſe latronem domeſti-

meſticum, qui proditoriè patrisfamilias gazophylacium evertit, quàm alterum, qui non ſit de familia, & irruptione in ædes facta idem furtum committat. Quanta igitur peſtis ſcandalum ſit, oportet, quod amicus amico præbet! quot paraſangîs ſcandalorum aliorum malitiam ſuperabit! primùm enim latrocinium hoc (quo nomine ſcandalum compellat Gregorius Magnus ob ingentia, quæ infert damna) non ab externo proficiſcitur, non ab ignoto, & qui nullo nobis nomine ſit devinctus, ſed ab amico, à noſtri dimidio, per ſummum & profanis etiam Legislatoribus inviſum ſcelus exercetur. Dein verò eſt illo, de quo leges loquuntur, multùm ſanè & infinities magîs deteſtandum, cùm per hoc quidem externa fortunæ bona eripiantur; per illud verò, bona interna, bona gratiæ & huic reſpondentis gloriæ, bona valoris infiniti intervertantur, damnô eò majorî, quò pretioſior eſt vita bona & æternùm felix perituris divitiîs, & aurô gemmíſque bonum illud infinitum, cui cùm mundi theſauros compararet gentium Apoſtolus, eos univerſos nonniſi ſtercora indigitabat. Rem omnem paucîs complexus eſt Magnus Gregorius, dum l. 26. Mor. c. 10. multò utique ſceleſtiorem eſſe illum pronuntiat, *qui malè vivendô vim noſtris infert moribus, quàm qui violenter nos opprimendô damna ingerit rebus.*

Malitiam hujus ſcandali Bernardus quoque

nos edocet, cùm toties in ſuis libris repetit, ſcandalum debere caveri ſedulò non tantùm ùt graviſſimam DEI offenſam, ſed etiam ùt moleſtiſſimam injuriam Angelis cuſtodibus illatam. Et fulcit ſanctus Magiſter doctrinã hanc non ſolùm authoritate Evangelii, ubi Salvator ipſe, quò omnes à ſcandalis deterreat, argumentum à præſentia tutelarium geniorum deſumit: *Deterret nos à ſcandalo parvulorum, quandoquidem tam vehementer Angelis ſcandala diſplicent. Serm. 1. de S Mich.* Sed manifeſta etiam ratione confirmat. Non enim non poteſt, inquit, inſigniter cuſtodibus Angelis diſplicere ſceleſta per ſcandalum ſeductio animarum illarum, quarum ſaluti tanta curâ ſeſe ipſi impendunt, tantáque ſolicitudine invigilant. Neque verò alios tantùm mellifluus Doctor his rationibûs à Scandalo removere ſtuduit, ſed ipſe quoque ab omni hujus generis peccato, ùt verba exemplîs confirmaret, ſemper quàm longiſſimè abfuit. Nil illo in converſatione circumſpectius, nil in ſermone cautius, nihil, ſive cum Monachis ſuis ageret, ſive cum externis, attentius; adeò, ut vel ex habitu corporis legere eſſet illam ſententiam, quam in animo millies repetebat: *Malo mori, quàm de mala mea converſatione aliis Scandalum facere. de inten. dom. c. 25.* Hauſiſſe credo ſanctum Doctorem id propoſiti ex egregio illo facinore

quod

quod poſterorum bono & documento glorioſiſſimus Martyr Procopius edidit. Protractus fuerat fortiſſimus hic heros in Diocletiani perſecutione Aniani Judicis juſſu ad neſcio cujus deaſtri ſimulacrum, ejúsque manibus accenſi carbones cum thure impoſiti, ut ignîs intolerabili ardore victus moleſtum excuteret pondus, & hac ſaltem ratione ſacrificare ſe oſtenderet ſpectantibus. Verùm generoſus Chriſti athleta, decantatô illo ſcœvolâ fortior, *manus potiùs ſibi comburi permiſit, quàm ut tale circumſtantibus præberet ſcandalum. Sur. 8. Jul.* Inſignî planè triumphô, & quo mereretur, ut Davidicis illis verbîs DEUM alloqui poſſet inclytus flammarum victor: *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.*

Ut manifeſtiùs adhuc demonſtraret peſtis, de qua loquimur, perniciem idem mellifluus Doctor, ita argumentabatur Serm. 1. de Converſione S. Pauli: *Si Dominus pretium Sanguinis ſui dedit in redemptionem animarum, non tibi videtur graviorem ſuſtinere ab eo perſecutionem, qui ſuggeſtione maligna, exemplo pernicioſo, ſcandali occaſione avertit ab eo animas, quas redemit, quam à Judæo, qui ſanguinem illum profudit?* Et profectò ita omnino res ſe habet. Perpende enim, quæſo, quisquis ſociis ſcandalo eſſe non times, quantô conſtiterit redemptori tuo ani-

ma Sodalis, quam peſſimis tuis exemplîs illi eripis! ſi exigua illi ſtetiſſet induſtriâ, ſi unico etiam ſuſpiriô, una unica lacrymulâ, vel cogitans rapinæ hujus abominandam malitiam cohorreſcere deberes. Quis igitur horror te obruat, oportet, conſiderantem, tanta feciſſe, tanta paſſum eſſe per integros triginta tres annos tremendum illud Numen, ut Sanguinem etiam copioſiſſimum ſudârit, ut amariſſimum dolorum Calicem ebiberit, ut mortem mille mortibus plenam in Cruce ſuffixus obire non dubitârit? Verbô: *Ut tam copioſo pretiô hominis redemptorem egerit, ut homo DEUM valere videatur.* Propone tibi ob mentis tuæ oculos regiam quandam eámque optimam matrem, cujus unicum filium, populorum ſpem, regni hæredem, per graviſſimos dolores in lucem editum incauta nutrix ſuffocârit. Quantus triſtitiæ æſtus, quis mœror amantiſſimum parentis hujus pectus non obrueret? imo quæ indignatio, quis furor? An verò putas tu, ſi dolorem hujus matris omnem ſecundùm ſuos gradus in digitos miſiſti, vel tantillam doloris partem te attigiſſe, quam ſervatori per unius animæ rapinam creas? Ah! ne te ipſum decipe o miſer! umbra eſt, nihil eſt omnis omnium Matrum dolor dolori Redemptoris tui comparatus, multóque ægriùs ſuô modô illum habet unius animæ â te procurata mors, animæ, inquam, meliori vitæ divina obſtetricante

gra-

gratia tantos inter dolores renatæ, quàm Matrem etiam amantiſſimam mortes dilectiſſimorum filiorum omnium acerbiſſimæ.

§. II.

SOlet DEUS leviori pœna caſtigare graviſſima peccata, ſi clam aliis & ſine ſcandalo committantur, quàm alia minùs gravia, ſi palàm, publica in luce, & cum proximi offenſione perpetrentur. Non auderem hoc aſſerere, niſi authorem ſequerer magnum illud Eccleſiæ Lumen D. Joannem Chryſoſtomum, qui planiſſimè *Serm. contr. Concub. Etiamſi*, inquit, *graviter quis peccet, atque clàm hoc faciat & neminem ſcandalizet, minorem dabit pœnam, quàm qui leviter peccavit, idque impudenter, & cum multorum ſcandalo.* Utque nemini hæc ipſius ſententia mira potiùs quàm vera eſſe videatur, eam Moyſis magni illius DEI amici exempló confirmat, qui licèt anteà etiam in quædam incredulitatis peccata eſſet prolapſus, ideò tamen punitus non eſt, licèt poſteà, cùm publicum præſente toto populo diffidentiæ defectum commiſiſſet, gravi ſuppliciô, atque adeo ipſa morte in terræ promiſſæ facie afficeretur, quin Iſraëlis populum eò introducere liceret. Exiſtimat ſanctus Doctor, primis lapſibûs poſteriorem hunc multùm de gravitate conceſſiſſe, atque ideo tantùm punitũ eſſe graviùs, quod luce palàm, cúmque alio-

rum ruina ſpirituali fuerit commiſſus. En! ipſa Divi verba: *Quod quidem*, ait, *naturâ minùs aliis erat, quia cum damno aliorum fiebat, multò majus judicatum eſt. Illa enim privatim & occultè, hoc autem manifeſtè & apud populum committebat.*

Sed quid humana opus authoritate! ſi Deus per Prophetam ſuum iſtis animarum proditoribus ipſe minatur graviſſima: ſi benigniſſimus ille peccatoribus aliis Pater Scandali authoribus juravit, ſe non ùt agnum manſuetum, ſed urſæ ad inſtar, raptîs catulis furentis, occurſuum? audi minantem: *Occurram eis quaſi urſa raptis catulis. Oſea 13. 8.* Et quemadmodum beſtia non eſt ferocior, quàm orbata prolibûs urſa, quemadmodum illa fremit, & obvium quemque in fruſta diſcerpit, ita, ſi unquam, iraſcetur furor meus ſuo modô & graviſſimè indignabitur illis, profectò indignabitur, qui animam, adoptatam à me filiam, ſcandalô everſam, mihi eripiunt.

Quòdſi Divina nemeſis ex ſua quaſi indole ad punienda ſcandala ita eſt prona, quid faciet, ſi ad vindictã provocabitur continuis clamoribûs animarũ illarum, quæ callidis ſeductorũ perſuaſionibûs ſeductæ, relictáque virtutis ſemita in viam perditionis delapſæ miſerè perierunt? Sanctus Joannes Evangeliſta in Apocalypſi Martyres audiit vindictam perpetuò clamantes: *Usquequò Domine non judicas & vindicas Sanguinem noſtrum. c. 6. 10,* Cùm

tamen

tamen perſecutores carnificúmque turbæ, qui in felices illos Chriſti pugiles deſævîerant, immarceſſibilem æternæ gloriæ Coronam illorum vertici imponerent: quibus ergo clamoribûs, quantis ejulatibûs divinam nemeſin fatigabunt miſeri inferorum incolæ, qua contentione petent, illos debitîs ſuppliciîs involutos cernere, quorùm culpâ in æternæ deſperationis ac infelicitatis barathrum proruerunt? Teſtatur Thomas Cantipratanus l. 2. c. 30. p. 8. Condiſcipulorum ſuorum aliquem innocentiſſimorum priùs morum Juvenem, cùm poſteà à Sodali perverſo perverſus, ſine Sacramentorum auxilio miſerè moreretur, jámque animam ageret, in hæc horrenda verba erupiſſe: ego quidem ad infernum abeo. Væ autem illi, qui ſeduxit me! Neque ſolæ vindictam expetent infelices illæ animæ, clamabunt etiam Cuſtodes Angeli, quorum ſolicito pro clientum ſalute ſtudio impiè ſe ſceleſti illi dæmonis proxenetæ oppoſuerunt: Clamabit Eccleſia, cui alumnum baptismô natum, & Sacramentis aliîs æternæ gloriæ paratum eripuerunt; Clamabit Diviniſſimus Redemptoris Sanguis, qui effuſus cùm eſſet pro adoptivorum Numinis filiorum ſalule, fine ſuo fruſtratus eſt, cùm illi ipſi filii ſerpentinîs ſubdoli amici ſibilîs decepti parata ſibi tantô pretiô hæreditate miſerè exciderint.

Quam-

Quamquam verò hæc ita ſe habeant, aliqui tamen ſcandala, quæ præbent, adeò magni momenti rem eſſe non putant, ut ne quidem cogitent de illis, ſatìs ſe facere rati, ſi peccatorum propriorum rationem non omnino nullam habeant, ſi à furto abhorreant, ſi à crapula, ſi à luxuria ſint alieni. Non cogitant nempe, quòd ſcandalum Sociis, ruinǽque ſpiritualis occaſionem præbendô graviùs vulnerent, fœdioríque maculâ animam ſuam contaminent, quàm quocunque peccato proprio: non perpendunt ſcandalum aculeo ſimilem eſſe, quo dum alium ſauciat irritata apicula, ſe ipſam occidit. Verùm audiant hi tales, & altè in animum demittant graviſſima verba S. Thomæ à Villanova: *Si eripere pallium alicujus*, inquit, *malum eſt, uxorem verò pejus, & vitam deterius; quantò omnium peſſimum eſt ejus animam interficere, eámque æternis ignibûs torrendam adigere?* Quod tamen perditi ſeductores toties faciunt, quotíes aliquem aut flagitioſis ſermonibûs, aut ſceleſtis operibûs ad peccandum inducunt. Eſt delictum hoc ita enorme, ut, quemadmodum Doctor Angelicus advertit, Chriſtus non aliam ſcandalo minetur pœnam, quàm illam ipſam, quæ ſceleſtiſſimo hominum Judæ proditori eſt præparata. Nam *væ homini illi, per quem ſcandalum venit! Matth 18.* Verba ſunt minitantis ſcandaloſo: *Væ homini illi, per quem Filius Hominis tradetur!*

Matth.

Matth. 26. Verba deterrentis proditorem, omnino prioribus æqualia, quaſi dicere voluerit: Quisquis ſcandalô ruinæ ſpiritualis occaſio animæ cuidam fuerit, eandem ipſam pœnam incurret, quam Judas luit ſceleſtus ejus proditor, qui animam illam ſuo ſanguine redemit.

Quapropter, quisquis vel ſtudiosè ſcandalum præbere hactenus es ſolitus, vel ſaltem, ne id præberes, exigua ſolicitudine curâſti, conſidera, & ſedulò expende, quid lucri hæc tua ſive malitia ſive oſcitantia tibi ſit allatura. Conſidera rationem, quam ſummo Judici exactiſſimam de tot animabus à te perverſis es redditurus. Vide, ſi graviſſimè iraſcetur illis, qui animarum ſalutem promovere neglexit, quid illi ſit futurum, qui non tantùm non promovit, ſed ſufflaminavit etiam, evertit, penitúsque deſtruxit. Sufficere tibi deberet, quod de tua anima, tuísque de ſceleribus rationem ſeveriſſimam ſis poſcendus, neque omnino, niſi inclementer velis deſipere, novum onus tibi imponere deberes, & reum te facere tot alienorum peccatorum, tot animarum Cœleſti Patri ereptarum, id quod S. Thomas Villanovanus monet: *Caveamus*, inquiens *Serm de S. Mich Scandalum præbere puſillis & dare illis occaſionem ruinæ. Sufficiant nobis peccata noſtra. Non ſimus apud DEUM etiam alienorum rei.*

Studea-

Studeamus potiùs (ùt hortari pergit Sanctus ille Epiſcopus) non tantùm hortatu verborum amicos, Sodales, notóſque omnes ad magnos in virtutis ſtadio progreſſus excitare, ſed etiam, & multò magìs exemplô actionum amica vi impellere, neque ſimiles Æſopico illi cancro ſimus, qui ſoboles ſuas ad rectà progrediendum ingenti orationis apparatu cùm perſuaſiſſet, retrò ipſe poſtea pedum fœdè diſtortorum vitiô perrexit.

§. III.

EXEMPLUM.

NUllius fortè delicti pœnas majori ſeveritate unquam exegit DEUS, quàm ſcandali per ſeductores ſceleſtos innocentibus præbiti. Inter alia, tragica profectò, exempla, quæ Pater Dominicus Ottonelli in ſuo de periculoſa converſatione tractatu recenſet, horrendum eſt, quod in Luſitania ad elapſi ſæculi initium contigit. Erat Juvenis (Bartholomæo nomen fuit) ſeveriorum quidem Muſarum Alumnus, at ex illorum claſſe, qui magìs flagitiis, quàm bonis artibus condiſcendis dies annóſque impendunt. Hic talis matutino neſcio cujus feſti diei tempore in adoleſcentulum inciderat, ſimplicem illum, & primâ adhuc Innocentiâ amabilem, qui eo ipſo tempore ad Conventum Sodalium ſub Magnæ Cœlitum Reginæ Patrocinio congregatorum ſeſe conferebat. Hunc ille blan-

dè

dè ſalutat primùm, tum, ut ſibi ambulatum, imò venatum prodeunti comitem ſe jungere velit, invitat. Videbatur neſciò, quo ſuperiori ſenſu diſcrimen præſentire miſella Innocentia; quare renuere ille, & jam Congregationem cauſari, adeundum jam penſum domeſticum in diem alteram perficiendum ſibi, excuſare, jam præſidis & præceptoris in exigendo debito ſeveritatem, jam alia obtendere. At nihil illa omnia contra excogitatum ſcelus profecêre. Nam quæ noxia demum, ajebat ſceleris magiſter, ſemel ex cœtu illo abeſſe? quæ lex, quod præceptum, ſemper præſentem te eſſe ſub peccati reatu te adigit? quòd penſi onere gravatum te ais, nihil eſt. Me ſine, & docebo te, quomodo præceptori tuo utut oculato palpum obtrudas. Veni modò, & liberiorem auram, imò me Socium non dedignare. Nihil habuit, quod accipitri huic porrò reponeret hæc albæ profectò mentis columbula. Quare manus lenoni dat, & præeuntem ad venandum fortè lepuſculum, aut amœnum aucupium malè ſui ſecura ſequitur. Verùm brevì patuit, cui feræ ſceleſtus ille laqueos ſit meditatus. Nam vix extremam ſylvam ingreſſi fuerant, vix arbuſtis tegi cœperant, cùm ecce! pro laqueis impudentiſſima verba profert, pro viſco impudentiſſimos geſtus, harpya ipſe impuriſſima. Pudor calamum prohibet ſingula, quæ in illo ſcelerum ludo flagitiorum

rum

rum doctor monſtraverit, & improbitatis heu! nimiùm docilis diſcipulus didicerit, enarrare. Dixiſſe ſufficiat, Illum, qui columba priùs fuerat, in corvum abiiſſe, perdito Innocentiæ Candore, Divinâ gratiâ, Spiritu ſancto habitatore; metamorphoſi utique dolenda, & in authore memorabilî ad poſteritatem ſuppliciô caſtiganda.

Et verò non tardavit Divina Nemeſis ſceleris magiſtro condignum pro labore minervat ſolvere. Audite enim, quicunque maledictis artibûs innocentes in viam iniquitatis ſeducere audetis, &, niſi omnem ſenſum exuiſtis, vel ad hoc Divinæ in veſtri ſimiles indignationis ſpecimen contremiſcite.

Cùm uterque expleto flagitiô ad urbem rediiſſent, & ſumpta cœnâ incolumes ſuíque ſecuri cubitum petiiſſent, orta vix altera die adeſt præ Bartholomæi foribus heſternæ ambulationis & criminis ſocius, modum illum exquiſiturus, quo penſum domeſticum non abſolutum ſuo in ſchola præceptori excuſaret. Verùm licèt ſæpiùs à domeſticis enixè petierat, ut Bartholomæo adeſſe ſe; ejúſque alloquium expoſcere ſignificarent, nihil tamen reſponſi tulit, quam ſtertere illum etiamnum, & heſternæ venationis laborem liberaliori morpheô diluere, adeò, ut ipſe denique Bartholomæi Pater diuturnæ moræ deſidiæque filii indignatus ad illius cubiculum aſcenderit, non excitaturus duntaxat pigrum

grum animal, ſed dignæ etiam reprehenſionis veluti jentaculô mactaturus. Ecce verò! vix benè fores aperuit, cùm ingenti horrore obrutus, pugnóque à neſcio quo ſpectro in pectus illisô rejectus eſt. Animare trepidum ſatagebant quidem domeſtici; imò ipſe ſopitos maſculæ fortitudinis ignes ſuſcitare nitebatur; quidquid verò aut ipſe aut alii agerent, aditum tamen moliri porrò in malè fauſtum locum non eſt auſus.

Cùm hæc ita gererentur, cùm alii, quid denique orci in domum imigrâſſet, ſcire percuperent, nullus verò experiri ſuo periculô vellet, adeſt rumore & tumultu excîta, & rei hactenus ignara Bartholomæi mater, fœmina ùt virtutis neutiquam muliebris, ita fortitudinis omnino maſculæ heroina. Hæc, quamprimum, quid ageretur, edocta eſſet, cohorruit nonnihil, pro filio utique materna pietate ſolicita, animô verò adeò non cecidit, ut re ſuperis commendata, ſignóque Crucis munita protinus januam emoliri, ipsúmque in cubiculum, neſcio quem horrorem afflans penetrare ſit aggreſſa. Hìc enimvero Scena ſe illi aperuit luctûs & ærumnarum, ſi quam vel cogitatu fingere poſſet, pleniſſima. Sive enim in lectulum oculos conjiceret, ſopitum viſura filium, nihil in illo præter pulvinaria ac ſtragula erat offendere; ſive in ſupellectilem reliquam, erat illa ſusdeque verſa & horrendis notata hinc inde ſtigmatîs,

ater-

aterrimîs illîs, & quæ vel obiter intuenti non ab alia, quàm ſtygia manu inuſta eſſe conſtaret. Quare in immanes denique ejulatus miſera parens erupit. Ad quos cùm recepto jam animô maritus accurreret, & uterque, ubi ergo filius eſſet, ſpem inter ac metum medii circumſpicerent ſolicitè, propè abfuit, ut ad illius aſpectum non in ſaxum obrigeſcerent. Pendebat infelix ex lecti ſponda, capite versùs pavimentum inverſo, pedibûs ad lacunaria erectis, ſine ſpiritu, ſine vita, ſine ſpecie à carnifice ſtygio procul dubio in eam formam deformatus. Corpus omne veſtibûs omnino nudatum, quocunque aſpiceres, aut miſerè uſtulatum, aut livore perfuſum erat eo, qui in titionibus eſſe ſolet nec extinctis omnino, nec tamen omnino etiam ardentibus. Verbô, bardum planè fuiſſe oportet, qui non ex illa infami infelicis forma legeret & latam in defunctum à Judice Divino ſententiam, & ſupplicia, quæ miſer jam tum in orco luebat.

Diu uterque parens in hoc triſti ſpectaculo hæſerat, cùm denique accerſitus ille, quem diximus à Bartholomæo ſeductum, Juvenis, rogatúsque, an de rei ſerie ipſi fortè quid conſtet, lacrymas inter ac ſingultus retulit heſternum ſcelus, addens, ſua quidem opinione ob id ſolum à Divina Nemeſi Bartholomæum ſeverè adeò eſſe acceptum. Et verò dubitare vix licet, hanc unam funeſtæ

illius

illius tragœdiæ cauſam fuiſſe; non enim fruſtra minatur DEUS *Ezech. 14. 8. Si ſcandalum iniquitatis ſua ſtatuerit contra faciem ſuam, - - - faciam eum in exemplum, & in proverbium, & diſperdam eum de medio populi mei.* Certè in *proverbium* miſer hic paulò pòſt abiit, ubi vulgata & in ſocietatis quoque collegium perlata rei famâ, Scholarum Præfectus, poſtquam rem ipſam teſtis oculatus inſpexerat, totius eventus ſeriem publicè in Academia recenſuit ſeductorum terrori. Faxint Superi, ut in *exemplum* quoque ſit omnibus, & quemadmodum teſte Aloyſio Juglari ſcena hæc Mediolani in Congregatione narrata, multos, ne *porrò* ſcandala præberent, aliquos, ut vitam ſanctiùs inſtituerent, feliciter permovit, ita nunc quoque lecta omnes à dandis ſcandalis deterreat, plurimos ad ſecuriorem virtutis ſemitam alliciat.

P. Joan. Dominic. Ottonellus S. J. de periculoſ. Converſ. not. 3.

Andreas Agneſius cum aliis funeſt. Caſ. Exempl. 4.

PARS

PARS III.

PANACEA ADVERSÙS IMMODERATUM LUSUM.

CAPUT I.

Inventor ac propagator luſuum peccaminoſorum.

§. I.

NOn conveniunt Hiſtorici, quis primus alearum, chartarúmque pictarum inventor extiterit. Sanctus Iſidorus bellum hoc, ſi ſuperis placet, inventum militi cuidam græco adſcribit, cui *alea* nomen, aítque hunc in Trojana obſidione, ut temporis diuturni, quo ad illam inexpugnabilem civitatem hærendum erat, faſtidiũ cõmilitonibus leniret, primum fuiſſe aleatorẽ. En! ipſa S. Patris verba: *Alea, inquit, inventa eſt à Græcis in otio Trojani belli à quodam milite nomine Alea, à quo & ars nomen accepit.* Angelus Rocca authorem exiſtimat Palandum, à quo non ſolùm latrunculi, qui velut gemini

mini exercitus ludicrâ pugnâ invicem committuntur, ſed chartæ etiam haſtîs, enſibûs alióque bellico apparatu inſtructæ tanquam jucundum militibus otii levamentum viventa ſint; ut videlicet illo tempore, quo per Trojanos quietis eſſe Græcis liceret, non otiô hi ignavo marcerent, ſed quadam prælii imagine, ſi non manus fatigarent, at ſaltem ingenium ad alia aliáque ſtratagemata aut dextrè eludenda, aut ſcitè invenienda erudirent. Et videtur hæc opinio ex eo firmamenti aliquid accipere, quòd leges militibus, iis præſertim, quibus in tuguriis excubitorum commodo excitatis hærendum eſt, in luſu hoc concedendo ſint longè, quàm aliis indulgentiores. Plato denique, qui magìs fortè ad verum acceſſit, dæmonem ludi hujus magiſtrum fuiſſe docet, dum *in Phœdro apud Buſſeum, verbô luſus*, annotavit, *aleam & reliquas pernicioſas artes à dæmone, quem apellant theut, inventas eſſe, & ad Thamum Ægypt. Regem delatas.* In qua ſententia poſtmodùm Petrarcha quoque fuit, quando exiſtimavit tartareum quempiam genium hujus ludi inventorem fuiſſe.

Verùm relictis profanis ſcriptoribûs, videamus, quid hac de re Doctores ſacri opinentur. Sanctus Martyr & Epiſcopus Cyprianus apertè dicit: *Multa ſunt tentationes diaboli, ex quibus eſt alea tabula, ubi praſtò eſt diaboli laqueus.* Magnus verò Baſilius:

Spiritus malignus, inquit, *aſſiſtit aleis. Ille pecunias nunc ad hunc, nunc ad illum transfert, atque modò hunc victoriâ effert, modò illum victum mœſtitiâ premit.* Imò eundem ipſum jam lætiſſimæ, jam iterum triſtiſſimæ ſortis vices experiri cogit, ut vel ſola ludentium causâ ingeniosè omnino agat pictorum gens, cùm cæcum ſortis numen Rotæ inſiſtens & modò ſumma, modò infima ſpectans artifice penicillo effingit. Neque diſſimilia Chryſoſtomus ſentit, quando ita docet *Hom. 6. in c. 2. Matth. Non dat DEUS ludere, ſed diabolus. Iſte enim eſt, qui etiam in artem jocos ludóſque digeſſit, ut per hæc ad ſe traheret milites Chriſti.*

Veriſſimum nempe eſt, quod in iſtam Sancti hujus doctrinam, ùt in alias aliorum Patrum, Sapientiſſimè diſſerit Angelicus Doctor 2. 2. q. 168. a. 2. *Iſtud Chryſoſtomi verbum*, inquit, *eſt intelligendum de illis, qui inordinatè ludis utuntur, & præcipuè eorum, qui finem* (quod vitium pleroſque omnes inficit, qui chartîs aut aleîs ludunt) *in delectatione ludi conſtituunt.* Et certè quòd hæc luſuum genera Authorem DEUM non habeant, ſed nequiſſimum illum ſceleris omnis inventorem Dæmonem, mirabili eventu, quem Manſius V. Lud. Diſcurſ. 2. refert, comprobatum eſt. Condixerant ad luſum Budæ in Hungaria milites gemini, unus DEI nomine, ſub cujus auſpiciis experiri aleam vellet, fretus, alter

ſtygis,

ſtygis, quam ſibi in hoc conflictu præſidem adoptârat. Jámque fervere luſus cœperat, ac quisque Patrocinio ſuo innixus in alterius loculos graſſari jam ſibi videbatur; cùm Ecce! nemo usquam illo infelicior, nemo hoc magìs fortunatus, adeò, ut victor hic ſemper victo illi ſpolia perpetuò detraheret. Mirum hoc, inquis: imò non mirum hoc ajo. Neſcit DEUS favere ludis, quos averſatur, *Neſcit Divina Juſtitia*, ut S. Antoninus loquitur *part. 2. t. 1. c. 23. Patrocinium dare Criminibus.* Dæmon ex adverſo non poteſt non protegere luſum, ùt ingenii ſui partum, nec deeſſe clientibus, quos conſiliorum ſuorum tam induſtrios videt eſſe executores.

§. II.

IN Patrum antiquorum ſententia fuerunt quoque illi Doctores, qui noſtro ævo magìs propinqui illuxerunt. Sanctus Florentinorum Archi- Epiſcopus Antoninus, quem ſuprà jam adduximus in Theologica ſua ſum̃a *2. part. t. 5. a. 1. c. 7. §. 6.* hæc habet: *Invenit diabolus taxillos, ubi in uſu eorum reperitur omnis malitia peccati.* Neque per exaggerationem hæc dicta exiſtimes à ſancto Doctore. Nimis enim quàm gnarus erat omnigenæ malitiæ, & innumerarum fraudum, quibûs impia luſorum gens, horrendas injurias optimo Numini, proximo verò damna ſæpè irreparabilia inferre aſſolet. Id-

ipſum D. Bernardinus Senenſis judicavit, quando tom. 1. Serm. 42. edixit inventorem omnium malorum Luciferum, illum humani generis inimicum, nocendi ſemper cupidum ſub nomine & titulo ludi cogitâſſe *animarum innumerabilium ſtragem per incredibilia ſcelera procurare.* Et ſanè experientia Divi hujus ſententiæ ſubſcribit: ex luſu quippe velut monſtrorum fœcundiſſima Lerna non illa tantùm pullulant flagitia, quæ luſus naturam conſideranti primo obtutu deprehendi poſſunt, ſed ea etiam, quæ cùm nunquam committenda videantur, paulò pòſt deplorantur commiſſa: repræſentat enim impoſtor ſtygius luſum ſub ſchemate recreationis innocentis, ac perſonis honoratis etiam & multa virtute conſpicuis uſitatæ, ut poſteà, cùm deluſæ juventuti illum perſuaſerit, inexpectatis facinoribûs corrumpat & contaminet, aucupem imitatus, qui, ut aves cæteras decipiat, cicurem quandam & modò cantu, modò volatu, modò ſaltitatione hilaritatem ſimulare doctam exponit, quò pellectas illas jucundo hoc ſpectaculo vel retibûs involutas vel viſco hærentes prædam faciat. Eſt hæc S. Ephremi ſimilitudo, qui, *capta*, ait, *& decepta à dæmone anima fit quaſi laqueus ad alias capiendas & decipiendas:* Atque proin chartarum & alearum luſum inter illa dæmonis opera numerat, quibus Chriſtianus quisque, cùm per baptismum fidei initiatur, renuntiare

ſe

ſe profiteatur. Non enim hoc unum Cathechumenus aſſerit : *Abrenuntio ſathanæ & cunctis operibus ejus :* Sed illud quoque ex S. Ephremi ſententia addit : *Abrenuntio alearum otio & tabularum uſui.*

Non verò quieſcit hîc, aut terminos ſuæ nocendi cupiditati figit inquies & noſtro ſemper exitio vigilans hoſtis tartareus, ſed videns, quantam meſſem noxia hæc ipſius inventio orco inferat, ulteriùs progreditur, & promovere indies ac propagare natam hanc è ſuo cerebro peſtem adlaborat. Hinc perpetuò menſæ, in qua ſive picta folia crepitant, ſive aleæ ſubſultant, aſſiſtit, ut dirigat hæc fraudum inſtrumenta, iíſque velut retibûs, laqueis, & pedicis copioſam innocentium prædam in ſuam poteſtatem pertrahat; nam, ùt D. Cyprianus docet, *alea tabula eſt diaboli venabulum, ubi præſtò eſt ad capiendum.* Modò luſorũ aliquem adverſa ſorte exagitat, ut in indignationem concitatus vel fœdas in DEUM blaſphemias evomat, vel omnes diras imprecetur aut colludenti, aut, quod extremæ amentiæ eſt, ipſis chartis : vel denique phrenetico perſimilis furet, deſperet, & jacturæ æris animæ quoque perditionem adjungere ſtolidiſſimè ſimul ac impiiſſimè cupiat. Alium ex adverſo ridentis fortunæ favoribûs effert, ut ſuperbiat arroganter, lætetur immoderatè, lucrum augeat temerè, & immodicis pecuniæ expoſitionibûs adverſa-

rium gravet. Denique irarum ſemina inter luſores ſpargit, ut ad rixas, injurias, minas delapſi, denique ad pugnam alter alterum provocet, atque, quòd Divo Antonino teſte non infrequenter accidit, pro gladiis, quos inter folia depictos videre eſt, veros jam arripiant; ſocium non argento ſed vita per atrociſſima vulnera ſpoliantes. Porrò ſi quid enorme, ſi quid ſummè flagitioſum ſceleſtúmque orcus fieri deſideret, luſorum genti id committit, & votîs jam eſt potitus. Certè, ùt Salvator noſter per immane auſum Cruci barbarè configeretur, militibûs uſus eſt, alearum luſui deditis, ùt ſacri interpretes apud Manſium *Tract. 46. Diſſ. 3* obſervant, atque ex ipſis Evangeliis non difficulter deſumitur. Perpetrato enim vix dum horrendo illo Deicidii crimine, cùm veſtes Redemptoris dividere quidem, inconſutilem verò tunicam integram ſervari, ac uni cedere vellent, more utique ſuo luſui ſortíque rem commiſerunt. *Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cujus ſit, ut Scriptura impleretur: ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*, alearum credo, ùt communis fert ſententia, quas ſceleſti illi, ut in promptu ſemper eſſent, ſecum perpetuò geſtabant. Nempe non hoc tantùm ævo inter arma, quibûs Chriſti paſſio renovatur, aleæ reperiuntur, ſed tum jam infame hoc ebur locum habuit. Neque hac duntaxat tempeſtate ſcelera

maxi-

maximè enormia luſoribus committere ſolenne habet dæmon, ſed jam ante ſeptendecim ſæcula ſcriptum de illis fuit *blaſphemant* eum, vitiô huic hominum fæci proprio & quaſi congenitô, ut videlicet quisquis Chriſtum ſequi, ejúsque dogmata profiteri ex animo cupit, quotiescunque amariſſimam Magiſtri ſui paſſionem in memoriam revocat, recordetur etiam, luſuum inſtrumenta ùt diaboli partum, ſcelerum ſentinam, & *Deicidarum manibûs contaminatam peſtem* ſummopere fugienda, imò horrenda ſibi ac deteſtanda eſſe. Veriſſimè enim Cyprianus ſcripſit: *Aleator! quicunque es, Chriſtianum te dicis, quod non es; eò quòd ſæculi particeps es. Nec amicus Chriſti potes eſſe, qui cum inimico Chriſti tenes amicitiam.*

§. III.
EXEMPLUM.

DIcta hactenus more noſtro velut in ſpeculo commonſtremus, non exemplum, ſed parabolam adducimus, quæ utinam hiſtoria non ſit. Recenſet illam D. Bernardinus Senenſis *tr. 4. ſerm. 33. de amore fugiente*, ubi multîs luſores, luſúsque omnes exagitat. Evenerat (inquit hic Sanctus) ut legiones dæmonum à Principe ſuo ad ſeminanda zizania tentationum quaquaverſum emiſſæ pro ſperato fructu nil niſi meras, uti quidem ipſi opi-

nabantur, injurias, irriſionéſque reportarent, ídque eo omnino tempore, cùm Chriſtiani Servatoris ſui natalem agerent, commiſſa antehac crimina pœnitentiæ lavacrô eluerent, divina Myſteria frequentarent, & ſanctiſſima Sacramenta reciperent. Facilè quivis conjiciet, quantas in furias res hæc orcum egerit, conſpicientem omnes ſuas inſidias eſſe deluſas. Certè etſi dirùm aliàs crucientur, ea tamen tempeſtate infelices hi Spiritus multò majora, quàm unquàm tormenta perpetiebantur. Quare conſiliô initô, ne malum aut porrò duraret, aut etiam ſerperet, duos omnium nomine ad Luciferum ablegârunt, Azardum & Sbarainum, qui & graviſſima mala, quibûs Dæmonum Reſpublica miſerè premeretur, coràm exponerent, & remedium, ne deinceps etiam vapularent, expoſcerent. Neque gravatè onus illi ſubîerunt, utique non de ſociorum tantùm, ſed ſua etiam vice ſoliciti. Cùm ad alloquium admiſſi, expoſitâ adventus ſui causâ, rogarentur à tenebrarum Principe, quam calamitatis originem eſſe conjicerent? illorum unus ipſam feſti ſolennitatem monſtrorum omnium Lernam eſſe edixit: prima enim Natalium die, ajebat, Sacerdos quivis tertiùm ſacris operatur, ſequentibùs verò tot ſacros ritus exercet, ut populus omnis ſingulari Religione ad eosdem convolet. Inde fit, addebat orator, ut magno numerô pœnitentiæ tribunal

nal aut menſam Evchariſticam coronent. Evenit item, ut ſacras ædes perpetuò adeant, continua piiſſimorum operum ſacrificia immolantes, per quæ à ſpiritibus Cœli incolis magìs, quàm unquam, barbarè vexamur; contingit denique, ut noſtræ inſidiæ artésque noſtræ univerſæ ad nihil jam proſint, quàm ut immanem, ac ſolitô deteriorem ſuppliciorum malorúmque omnium tempeſtatem in nos creent.

Indignabundus hæc Lucifer audièrat: atque ùt primùm dicendi finem legatus fecit, apage triſtitias, inquit, fidi commilitones! apage metus, quibûs ruinam Regno noſtro expaveſcitis. Inveniam ego modum, quo ſacrificia DEO offerri ſolita in hoſtias mutentur meo nomini dedicandas, faciam, ut pro Eccleſiis tabernæ frequententur, pro aris luſorum tabulæ. Dabo, ut videatis paulò pòſt pro Divinis officiis jocos, ac ſcurrilitates perſonare gaudebitis, ſacris precibus diras, devotis cantionibus blasphemias, pœnitentiæ armis atque devotionis incitamentis chartas, aleas & fritillos ſubſtitui. Verbô, tot ac tantis, quanta recenſuiſtis, Sacerdotum miniſteriis, fideliúmque operibus malitiam meorum miniſtrorum opponam, & ſociorum ſcelera. Modum, quo uno hæc univerſa confici queant, ſcire cupitis? accipite, & utimini. Ite, & Senatu Collegarum veſtrorum coacto varias novorum luſuum ſortes ex-

 cogi-

cogitate. Hoc uno fiet, ut ratione varia omnis generis hoſtiæ mihi immolentur; hoc uno effectum dabitur, ut ſacrificia, quibûs DEUS adhuc colebatur, univerſa impediantur. In laboris prœmium volo, ut, quisquis novam luſûs ſpeciem finxerit, nomen ſuum illi ipſi luſui imponat, perenni fama non ſolùm ad ſeram poſteritatem, ſed ad extremas quoque orbis plagas hoc pacto propagandum.

Dixerat, & orator utérque perficiendis juſſis ſeſe cum reliquo grege mox accingentes novas humano generi pedicas meditari, novos, inquam, luſus cœperunt, eo proventu, ut Sbarainus, Azardus, Minoretus, luſus Italis noti, ab ejusdem nominis Dæmonibus jam tum ſint iventi, & multi hodiedum inveniantur, fructu, quem Lucifer præter morem verè prædixit, malorum & ſcelerum uberrimo, quemque S. Bernardinus l. cit. multîs deplorat eo potiſſimùm ex capite, quòd, *quicunque ludit iſtîs ludîs, pro DEO ſuo celebrat diabolo, quia ex ludo nil oritur, niſi malum.*

CA-

CAPUT II.

Luſus vitioſus magnum damnationis æternæ periculum creat luſori.

§. I.

PRætet ſeptem peccata capitalia, quæ ex luſu velut Hydra pullulant, P. Balthaſar Chavaſius in aureo ſuo libro de vera prudentia *L. 4. c. 7.* totidem inſuper gigni ex eodem vitia aſſerit, quot ſunt alphabeti literæ. Ex illo enim tanquam fœcundiſſima. Parente malorum, ac monſtrorum oriuntur *avaritia, blaſphemia, contumelia, deſperatio, execratio, fraus, garrulitas, homicidium, ira, livor, mendacium, nugacitas, odium, perjurium, querimonia, ſimulatio, rancor, turpiloquium, uſura.* His immorari, ut luſum pro merito omnibus inviſum reddam, hîc non juvat. Utilius multò erit perpendere ac ob oculos ponere periculum perpendi æternam felicitatem, in quod ex alio capite ſeſe ingerunt, quicunque luſibus ſe mancipant, in quibus plerúmque aut furti peccatum committitur, aut blaſphemiæ, aut rixarum, aut miſeræ familiarum integrarum everſionis, quo ſenſu intelligi debet illud S. Cypriani effatum: *aleâ ne luſeris, ubi lu-*

ſus nocivus eſt, & crimen mortale, ratione morum improborum, qui luſum comitari ſolent, quóſque ſapientiſſimi etiam, cùm luſui ſe dant, vix ſatìs à ſe defendunt.

Quando diſtribuit DEUS talenta ſua, huic quidem quinque, illi duo, alteri unum, eo fine eadem largitur, ut quivis juxta illum vitæ ſtatum, cui vel ſorte, vel neceſſitate, vel electione propria eſt mancipatus, ea expendat in opera Sancta, & virtutum exercitia; atque hoc pacto grande ſalutis negotium quàm optimè gerat. Inde enim eſt, quòd per Paulum Apoſtolum non Titum ſolùm, ſed nos Chriſtianos omnes ſolicitè moneat, ut bene donîs deſuper datîs utentes *ſobriè, juſtè, & piè vivamus: ſobriè* quidem in ordine ad ſe, per paſſionum laſcivientium refrenationem: *juſtè* in ordine ad proximum per debitam vera bona eidem procurandi ſolicitudinem: *piè* denique in ordine ad DEUM per continuum in oratione ad ipſius bonitatem recurſum, per exactam Divinæ legis obſervationem, per omnem, quæ poſſit, ſanctiſſimæ ejus gloriæ propagationem. Ex univerſis his tribus obligationibus nulli omnino luſor ſatisfacit. Nam, quod ipſum quidem attinet, ſæpè is in prædam cedit infrenatis ſuis paſſionibus, ac rei alienæ vetitarúmque voluptatum deſideriis. Quod proximum ſpectat, ſi luſu vincit, damnum colluſori infert, eúmque ſuis exuit facultatibûs;

ſi vin-

ſi vincatur ex adverſo, nocet rei familiari, nocet domeſticis, quos ſæpè ad manticam redigit. Denique neque erga DEUM eſt melior. Debitum enim illi cultum negat, & cùm ab aurora ad ſeram usque noctem ludo immerſus jaceat, ne quidem ejus invocandi meminit; debitam dein negat feſtis diebus venerationem, debitum Sacramentis, quæ nunquam accedit, honorem. Si quandoque fortè fortunâ in preces linguam moveat, *orat, ut DEUS eum faciat vincere*, quod S. Antoninus notat. Stipem ſi elargiatur, aut vota concipiat ad Beatam Virginem, ad Sanctos, ea ſolùm de cauſa id facit, ut in luſu eos propitios & faventes experiatur. Ad alium enim finem, quàm ad temporale lucrum non reſpicit. Vellétque, ſi poſſet, pravorum ſuorum appetituum Protectricem ac Patronam facere ipſam Sanctiſſimam DEI Providentiam, illius ſceleſti ad inſtar, qui S. Antonium Patavinum inſtanter rogabat, ut beneficus ipſi ac auxiliator in, neſcio cujus, turpiſſimæ uſuræ negotio eſſe vellet, peſſimè perſuaſus, Divum hunc non ſolùm peccantium, ſed & peccatorum ac criminum poſſe aut velle eſſe patronum. Si verò hæc ita ſunt, quo modo impia luſorum gens talentis à Cœleſti Patrefamilias ſibi concreditis benè utitur? ſine quo tamen bono uſu ſalutem æternam conſequi nequeunt? ſi ſupremus Judex ad æterna ſupplicia damnavit

 vecor-

vecordem illum, pigrúmque ſervum, qui talentum ideo acceptum, ut negotiaretur, & induſtriè rem Domini gereret, humô obruit, ac otioſum ſitu ac ſqualore obſeri permiſit: *ſervum inutilem ejicite in tenebras exteriores, Matth. 25.* Quam ſententiam illis expectandam putatis, qui talenta ſua diſſipant in ſympoſiis, in defraudationibus, in violentiis, ſine quibus multo tempore nullus durabit luſus, eam ipſam ob cauſam venationi ſolitus comparari, in qua, ut pinguis ac multa præda in poteſtatem redigatur, plerumque aſtus fraudéſque, & violentæ aggreſſiones adhibentur? qui exceſſus, ùt vitari poſſint à ludentibus moderatè, ſine lucri aut cupiditate, aut intentione, animi duntaxat remittendi gratiâ, rariſſimò tamen, aut penè nunquam ab ullo vitantur, qui multum temporis huic negotioſo lusûs otio conſecrat. Tam multæ enim conditiones requiruntur, ut ſine ullo nævo ludatur, ut res ſit non minoris difficultatis chartas aleáſque tractare, & nulla labe pollui, quàm picem tangere, & ab ea non inquinari. Quis enim in tempore nunquam excedit? quis debitis frenîs affectum coërcet? quis intentione recta ſemper puráque fertur? quis æquitatem in ſubſtantia lusûs obſervat? quis decorum ludentibus conveniens? præterquam quòd luſus, neſcio qua, malignitate præditus eſſe videatur, vi cujus ſoleat avaritiam procreare etiam

in illorum corde, qui in aliis negotiis non liberales tantùm, ſed prodigi etiam eſſe viderique ſtudent? Imperator certè Cajus Caligula, ùt Suetonius refert, etſi aliàs ultra modum profuſus immenſam ſæpe argenti aurique vim prodigeret, quoties tamen luſui ſe dabat, lucri cupiditate excæcatus turpiſſimis fraudibûs dolîsque Imperatoriam dignitatem inquinare conſueverat.

§. II.

TErribiles minas per Prophetam Evangelicum DEUS intentat illis, qui fortunæ aras extruunt, hoſtiáſque litant, ac divinos honores habent. Internecionem enim illis, & horrendas ſtrages, & extrema quæque ſeverè interminatur. En! ipſa irati DEI verba Iſaj. 65. 11. *Qui ponitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam! numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis.* Minas has luſoribus intentatas aſſerit Divus Antoninus, quando dictum Textum explanans, ùt patheticè gravitatem culpæ, & magnitudinem pœnæ, quæ à ludentibus incurritur, exprimeret, hæc habet: *Ponunt menſam fortunæ, qui ludunt, experientes ſe fortunæ ſive per taxillos ludendo, ſive per chartas, & iſti feriuntur gladiô Divinæ ultionis in inferno.* Neque per exaggerationem hæc dicit S. Doctor: Nam luſoria menſa, cui perpetuò adhærent luſores, ara ipſis evadit, in qua ſuo

modô

modò victimarum ad inſtar non tantùm aurum argentúmque Cæcæ Deæ offerunt, ſed ipſa etiam ſua corda, ſéque ipſos immolant. Pariter per illa verba: *Libatis ſuper eam*, ad convivia & ſympoſia alluditur, quæ olim recepto jam more poſt luſum fortunæ honoribus inſtituebantur, quæ conſuetudo, utinam non noſtro quoque ævô vigeret! Videmus enim frequenter finito luſu ad compotationes, crapuláſqueabiri, à plebe præſertim & plebejæ mentis hominibus, qui in ganeas popináſque ſeſe abſtrudunt ea ſolùm de cauſa, ut commoditas ibi ſit Baccho quoque, poſtquam fortunæ in victimam jam ceſſerunt per luſum, per brutas viliſſimæ ſæpè potionis ingurgitationes ſeſe immolandi, & duplici ex capite divinam Juſtitiam ad inferendas intentatas pœnas & deſcriptam: *Numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis*: Vindictam provocandi; immani utique inſania, & quam aliquando, ſed ſerò nimis, deplorabúnt, quicunque Divinæ Nemeſis minas adeò apertas timore, nunc ſalutari, nolunt expaveſcere, obfirmati, illis, cùm opere fuerint complexæ, ingemiſcere.

Neque aliter textum Iſajæ ſuprà allatum intelligunt Sanctus Cyprianus inter antiquos, inter modernos verò S. Bernardinus, qui Tom. I. Serm. 42. luſum, ejúſque moderatricem fortunam luſori Deos eſſe apertè demonſtrat: *Luſor ludit DEUM ſuum*, inquit,

rò

eò quòd illum in amore præponit ipſi altiſſimo DEO: Nam illud ab homine colitur, quod in amore præ cæteris honoratur. Paulò pòſt verò addit: *Plùs honoris defert tribus taxillis, quàm oſſibus JESU Chriſti, quem in luſu ſæpius vituperandò blasphemat.* Ex quo ſatìs liquet, quàm meritò graviſſimæ etiam pœnæ luſoribus à DEO & intententur, & præparentur. An enim non mereatur ille reprobari in æternùm, qui DEUM priùs reprobat infamis idololatra? an non mereatur privari à Servatore fructu ſacratiſſimæ ſuæ Paſſionis, qui eandem viliſſimæ etiam delectationi poſtponit? Miſeri & infelices! quantùm gemetis olim, quantùm ejulabitis, cùm voluptatulæ, qua præfractè nunc frui decretum vobis eſt, inſtrumenta in ſuppliciorum pœnarúmque itidem inſtrumenta verti vobis videbitis? Audite, quid ſpectaculi olim S. Franciſcæ Romanæ oculis exhibitum fuerit. Infernum illa vidit, & in eo infinita tormentorum genera. Inter alia luſorum oſſa conſpexit alearum formâ, quibûs olim immoderatè impiéque delectabantur, à ſæviſſimis dæmoniis per ignitos carbones, & flammîs rubentes menſas volvi revolvíque. Neque hìc finis. Aderant tortores alii, qui aleas ex ignito ferro fabricatas, aurúmque & argentum, quod olim lucrifecerant, in caliginoſa illa ſtygis fornace eliquatum luſorum faucibus infunderent, dolore immenſo,

& nul-

& nullis ſat verbîs explicabili, qui veriſſimam eſſe demonſtraret notam illam ex Sacris Scripturis ſententiam: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Verùm ulteriùs longè progrediuntur aliqui, & gentiles imitati, apertis planíſque verbîs in luſu fortunam, ac ſi ingens aliquod numen illa foret, in vota vocant: Preces ad ipſam fundunt, de ea queruntur, ſi perdant, gratias illi habent: Si lucrentur, *perinde*, ùt Auguſtinus ait *l. 4. de Civitate DEI c. 19. ac ſi DEUM non curarent, conciliatâ ſibi fortunâ, quæ illìs ſine ullis bonis meritis faceret fortunatos.* Certè non deſunt inter Chriſtianos homines luſûs voluptate infatuati, qui plus bonitatis fortunæ ineſſe putent, quàm virtuti & ſapientiæ, quóſque cum Euclione illo apud Naz. *tract. de fortun.* aſſerere non pudeat: *Gutta bonæ ſortis ſive fortunæ potior mihi eſt bonæ mentis & prudentiæ cadô.* Impiam ſtultitiam! ab Ethnico etiam Poëta ſatyricè traductam, cùm canit: *Nullum Numen abeſt, ſi ſit Prudentia: ſed nos te facimus fortuna Deam, cœlóque locamus.* Impiam, inquam, ſtoliditatem, in qua apparet, quanta per hanc Idololatriæ ſpeciem injuria irrogetur Divinæ Providentiæ, à qua ſola omnis humana felicitas dependet, cujúſque in manibus Propheta Regio teſte *ſitæ ſunt ſortes noſtræ.* Invocent hi cæcum fortunæ Numen, & ab ea beatitatem aliquam expectent, quam im-

pensè

pensè adeò colunt: ab oculatiſſima illa Numinis Providentia ejúsque Gazophylaciis quod ſperent, habent nihil, præter ſelectas pœnas, quas illa, non tantùm non adorata & culta, ſed contempta etiam, præparat, & iterum iterúmque verbîs ſupra allatîs intentat: *Qui dereliquiſtis Dominum, & qui ponitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam, numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis.*

§. III.
EXEMPLUM.

FAteor, dubius aliquamdiu hæſi, cujus potiſſimùm luſoris ſeveriſſimam caſtigationem recenſere hîc deberem ad demonſtrandam vindictam, quam ab his iniquitatis pullis Divina Nemeſis ſumere conſuevit; adeò multa, quæ huc facerent, in omnibus paſſim provinciis contigerunt, adeò frequentia ſacri Sctiptores poſterorum memoriæ tradiderunt. Lucæ celebri Italiæ urbe hodiedum viſitur immanis hiatus eo in loco, ubi tellus improvisò aperta ſacrilegum luſorem abſorpſit, & in horrendam illam ignîs inextinguibilis abyſſum viventem etiamnum præcipitavit. Jeroſolymis nobilis quidam Juvenculus, cùm inter luſum, quo unà cum Patre, homine omnibus ob ſua decora magni æſtimato, tempus fallebat, peccatum, quòd ludentes ſolent, commiſiſſet, absque mora

mora per dæmonem formam corpoream indutum abreptus, eúmque in locum abductus eſt, quem ſoli ſuperi nôrunt, absque eo, ut ad hunc diem vel minimum infelicis corporis veſtigium appareret. In Saxonia fraudulentus quidam luſor, cùm ob omnium pecuniarum jacturam horribiles in blasphemias erupiſſet, ab inviſibili (procul dubiô ſtygii carnificis) manu gladiô obarmata vulnera duo accepit, adeò atrocia, ut inteſtina etiam per illorum hiatum apparerent. Paucîs, tot ſunt Divinæ Juſtitiæ ludendi inſaniam caſtigantis exempla, ut immenſo quodam volumine illa univerſa vix comprehendi poſſent. Unum unicum ego explicatiùs afferam, ex quo luculenter pateat, quanta mala ludendi libido etiam illis creet, qui per errorem tantum culpæ, quantum dictum eſt hactenus, luſui ineſſe, antè vel neſciêrunt, vel certè non ſatìs crediderunt.

Poſtulabat aliquando à Divina bonitate ferventiſſimis precibûs S. Cyrillus, dignaretur ſibi revelare, ubi locorum Ruffinus, nepos ſuus paulò antè defunctus, degeret, an beatam illam Sanctorum Patriam, an triſtem ignis luſtrici carcerem, an infelicitatis omnis abyſſum infernale barathrum incoleret. Cùm ecce! ſubitò intolerabilem fœtorem odorari, lucémque conſpicari, caliginoſam illam, & , neſcio quid, inſoliti afflantem. Cohorruit enimvero Divus, & ad fores ſeſe

con-

convertit. Verùm hîc primùm ſcena omnis illius ſeſe oculis objecit. Adſtabat Ruffinus catenîs candenti ex ferro ligatus, ore flammas ſpirabat, & ingentia teterrimi fumi volumina: à corpore omni flammeæ perpetuò abſiſtebant ſcintillæ, indices ardentiſſimi illius ignis, quo illi viſcera adurerentur. Poſtquam aliquamdiu ſui propè impos ad triſte adeò ſpectaculum ſtetiſſet Cyrillus, reſumpto tandem animô ſciſcitari ex infelici umbra cœpit, quid tandem cauſæ eſſet, ob quam graviſſimas has pœnas lueret ipſe, qui vitam duxiſſet dignam, quæ aliis in exemplum proponeretur? ipſe, qui in omnium ore Sanctus, aut virtutis ſaltem ex aſſe addictus audiiſſet ob publicè etiam exercita pietatis religionísque opera. Verùm quid putas, benevole lector, reſponſi illum tuliſſe? luſus, heu! luſus, ajebat, ad has tantas miſerias me redegit culpæque in eo perpetratæ; hæc, cùm confiteri ego nollem, ex craſſa & affectata ignorantia nullam illis gravitatem ineſſe ratus (licèt conſcientia non rarò me morderet, & adigere vellet, ut meliorem mihi notitiam compararem) ſententiam in me damnationis æternæ fulminârunt, absque eo, ut crebra etiam virtutum exercitia vel tantillum me juvent. Sic ille. Ite jam ſtolido ludendi amore miſerè infatuati mortales, & alearum chartarúmque tractationem innocuæ, inſontíſque voluptatis honeſto nomine compellate;

pellate;

pellate; poſtquam lingua, à qua veritatem experientia expreſſit, vos docet, adeò malignam rem eſſe luſum, ut optima etiam, virtutéſque præſtantiſſimas ſuo venenô inficiat, poſtquam conſtat pejoris illum eſſe indolis, quàm horrendæ grandinis pernicioſiſſimam peſtem, cujus ad inſtar non jam marceſſibiles terræ fruges, ſed duraturos in ævum, atque in voluptatis infinitæ paradyſo colligendos fructus deſtruit, & areſcere facit juxta vaticinium Ezech. 18. 24. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ, quas fecerat, non recordabuntur.* Poſtquam denique manifeſtum eſt luſûs amorem homines etiam bonæ alioquin frugis æternæ damnationis reos efficere.

Marul. de Bon. & Beat. Vir. l. 6. de pœn infern. Et Manſi tr. 46.

CAPUT III.

Remedia contra luſum vitioſum.

§. I.

QUamquam media, quibûs emendatio obtineri poſſit, inſano luſori ſcribere idem eſſe videbitur, ac leges Muſicas explicare homini ſurdo; ſpero tamen, non omnino inutilem rem me præſtiturum, ſi proponam hîc aliqua, quibûs valetudinis

etiam

etiam deſperatæ animus ab hoc pernicioſo magìs, quàm jucundo vitio convaleſcere poſſit. Igitur, ut ſaneris ab hoc malo, ſapientum effatum eſt, præcipuum medium eſſe ſanitatis ardentem voluntatem. *Pars ſanitatis eſt velle ſanari.* Nam animi mala in hoc potiſſimùm à corporis morbis diſtinguuntur, quòd voluntas, quæ hiſce eliminandis ſola nequaquam par eſt, illis ita ſufficiat, ut reipſa eorum ſanitatem obtinere, & efficaciter eandem velle idem ſint, quia mentis videlicet languores omnes, cùm aliud nil ſint, quàm diſtortæ voluntatis affectiones pravæ, certiùs non curantur, quàm ubi per voluntatis meliora appetentis affectiones prava illa, inepta, & inſana deſideria expelluntur. Inde ſapienter Angelicus Doctor, Thomas de Aquino ſorori, quibus mediîs defectus fugere, & in perfectione creſcere poſſet, roganti, *volendô*, reſpondit, *ſi voles, non deficies porrò. Si voles, eris perfecta.* Atque hoc medium, ſi in omni alio pravorum habituum genere ſanando multum poteſt, multò plus poterit in ſubjecta materia de luſus cupiditate, utpote quæ non ab innato ſenſualitatis fomite inflammatur, ſed à ſola liberrima hominis voluntate enaſcitur. In eo enim ſolo rei cardo vertitur, ut voluntas maſculè velit & efficaciter, mota & excitata ab intima cognitione graviſſimorum ex luſu provenientium damnorum, quæ ſufficienter hacte-

hactenus explicata, & dilucidè ob oculos poſita ſunt, quæque, ut memoriæ ſerviamus, à doctiſſimo Patriarcha magnam partem in compendium redacta, denuo exhibenda ducimus: *Lucrum*, inquit, *quodcunque ex illo* (luſu) *trahi poteſt, quavis jactura nocentius eſt ſolâque, ſi quam afferat, jacturâ prodeſt. Voluptas, qua ſuos afficit, fugitiva eſt, & vel momentum ſtare neſcia, cùm dolorem afferat in ſacula ſapè duraturum. Quietem affert, ſed omni labore graviorem, ſuos incantare aſſueta, ut fatigationem continuam ſuavi pro otio ament: ſpe aquirendi faſcinat animos, ſed dubiâ, ſed amara, ùt qua pro gaudiis promiſſis plerumque obtrudat tadia. Denique fides ipſa in negotio hoc ſe perdit ac in perfidiam abit, ſolis in fraudibus ſtabilis,*

Verùm maxima horum ægrientium pars licèt ſuo damnô, quantùm chartæ obſint aleæque, ſint experti, vana tamen duntaxat propoſita concipiunt, luſu dein abſtinendi, nec eò perveniunt, ut fortiter huic peſti nuntium remittere re ipſa audeant, adeò, ut meliùs ipſis, quàm Apoſtolo dicere conveniat: *Velle quidem adjacet mihi, perficere autem non invenio. Rom 7.* Non enim deſideria fovent miſeri, & decreta, ſed velleitates, Vellent, non volunt: *Vult & non vult piger. Prov. 13.* Faciúntque omnino, quod Auguſtinus fecit, cùm in bivio adhuc ſtaret Sanctus hic Præſul, & primam ad converſio-

nem

nem manum mitteret Deſiderabat ille excutere à ſe compedes ſenſualium delectationum, quas ſaluti adeò noxias eſſe cognoverat, ſed ignorabat, quid primùm, quid dein facere oporteret, ut ex miſera hac captivitate daretur evadere. Summo manè ſupplex DEUM rogabat, liberaret tandem miſerum à ſuavi illo & delectabili viſco. Verùm non volebat ſeriò, adeò celerem in vota DEUM experiri. Paulò enim pòſt proſectioríque jam die malis ſuis conſuetudinibus prædam ſe dabat, ratus, non poſſe ſe iîs, ad quæ habitus illi, vinculáque trahebant, ſemper porrò carere. En tibi pia ipſius verba, quibûs inſidioſos compedes ab aſſuetis vitiis fabricatos ipſe deſcribit. *Retinebant me*, inquit, *l. 8 conf. 11. nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, & ſubmurmurabant: dimittis nos, & à momento iſto non erimus tecum ultrà in æternum?* Multùm proin Divo huic luctandum, multum ſudoris profundendum illi fuit; donec ab iſtarum inſidioſis retibus ſeſe extricavit.

Hæc, inquam, omnino luſorum eſt conditio, hæc lucta, hæc ſaniorum deſideria. Agnoſcunt illi clariſſimè, quantùm ipſorum honori ac famæ luſus obſit, quantùm familiæ, quantùm ſaluti; vellent proin æternum illi repudium dare. Verùm operi adeò neceſſario ut manus applicent, hoc enimvero à ſe impe-

trare non poſſunt. Si enim ſummas grandes aut mediocres etiam adhuc perdiderunt, damnum priùs reparare, ac amiſſà iterato luſu recuperare neceſſum putant. Si verò victores aliquid auri, argentíque ſecum abſtulerunt, ſtultum exiſtimant, ſi non pergant porrò, vana utique, neſcio cujus theſauri ſpe infatuati ab lucro præſenti, quod, quemadmodum aquæ guttula candenti ferro aſperſa illius ardorem multùm auget, ita magnis etiam incrementîs prava illorum & ignita deſideria ſolet inflammare.

Verùm utinam hi tales, quemadmodum ſæpè imitantur Auguſtinum in irreſolutis ſuis reſolutionibus, ita denique illius etiam veſtigia inſiſterent, eúmque imitarentur in maſcula illa & efficaci reſolutione, qua poſtea nugas ſuas & vanitates æternùm ab ſe exceſſe juſſit! ſine dubio enim etiam ipſi eſſent experturi illam animi quietem, ſocietatémque ſuaviſſimam, quam generoſus ille athleta eſt expertus ruptîs vix laqueîs, quibûs vinctus tenebatur, & illata pravarum aſſuetudinum turbæ forti violentia, quámque ipſe iterum nobis deſcribit *Quàm ſuave*, inquit, *ſubitò mihi factum eſt carere ſuavitatibûs nugarum! & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. l. c.* Hanc, inquam, procul dubio luſores quoque experturi eſſent, ſi procul ab ſe ablegatâ muliebris animi vecordiâ, maſcula fortitudine & aleas, & char-

chartas, & alveolos, & inſtrumenta luſûs alia, omnia ſimul ab ſe abdicare & flammis etiam addicere auderent.

Verùm quid Auguſtini, quid externa exempla adducere opus eſt; cùm domi illis naſcantur, & eorum quivis experientia jam frequenti veritatem hanc ſit condocefactus. Edicite enim, qui inſano amore luſum deperitis, an non aliàs etiam aut canem, aut equum, aut aviculam, aut vinum, aut aliud quid ardentiſſimè dilexiſtis? an non ſine his quoque vivere, mori quoddam eſſe vobis videbatur? an non exiſtimabatis, ita intimè corde recepta illa eſſe, ut abſtrahi ea à vobis ſine amara triſtíque violentia non poſſe porrò crederitis? at quamdiu tandem duravit hic animi ardor? mentiar, niſi ſæpè menſe uno; hebdomade una, imò ſæpè die uno vix evoluto mutata mente amorem illum vel poſuiſtis, vel in odium & horrorem mutâſtis, felices vos fore rati, ſi inviſum jam objectum quàm longiſſimè à vobis ejicere poſſetis. Cur ergo non aliquando effœminatam veſtram animi mollitiem excutitis? cur non audetis, quod DEUS jubet, ratio ſuadet, ſalus exigit? mihi credite, audete duntaxat, & mox eò majus ex repudiatis his veſtris deliciis vobis paulò pòſt obveniet ſolatium, quò majorem in repudiandis difficultatem laborémque vobis experiri videbamini, vel, ſi mihi non creditis, Sapientiſſimum illum Mirandulæ

Comitem Joannem Picum audite. Docet is prudentiſſimo conſiliô, hominem, qui à delectabili quodam jucundóque vitio animum abſtrahere deinceps & immunem ſervare velit, ob oculos ponere ſibi debere, quotiescunque à tentatione & occaſione relapsûs eſt periculum, ex una quidem parte ſuaviſſimum illud ſolatium, quo ex relata victoria paulò pòſt perfundetur, ex altera verò faſtidium illud, nauſeámque & dolorem, ac pœnitudinis amaritiem, quæ uno impetu poſt conſenſum molles animos invadunt. DEUS enim minimarum etiam mortificationum remunerator liberaliſſimus ſyncerioris gaudii abundantiâ compenſare ſolet quamcunque de effrenatis paſſionibus relatam victoriam; ſicut è converſo, illum, qui appetitui manus dare & frena laxare gaudet, mox ut id fecerit, amariſſimo dolore perfundere conſuevit.

§. II.

SEd age, remediū aliquod paulò magìs practicum proponamus his ægris, quibus videtur prima fronte nimis arduum nimísque rigidum æterno divortiô à ſe excludere hoc genus recreationes, ad quas ita ſunt propenſi, ut putent ſupra vires ſuas hoc eſſe, aut ſaltem difficillimum, nunquam dein lusûs ſuavitate perfrui poſſe! Igitur ne difficultate hac territi à bene fors cœptis reſiliant, decernant initiô ſaltem per unius unici diei,

aut

aut ſi animus ipſis fortè magìs in ſanitatem caleat, ſeptimanæ decurſum abſtinere à ludentium conventu, séque ipſos ſolentur, ac obmurmurantem habitum, non id jam decerni aut deliberari, an per omnem porrò vitam hujusmodi conventiculis ſit renuntiandum: per tempus non adeò longum duraturam hanc abſentiam, nec exilium illam ſed oſtracismum duntaxat eſſe. Evoluto ſpatio hoc decreto illas dein partes eligi poſſe, quæ in futurum plus commodi allaturæ videbuntur, &c. hac enim ratione longè certiùs faciliúsque obtinget victoria. Et verò ſuaſit hanc praxin, hunc agendi modum non ipſe ſolùm DEUS Iſraëlitico ſuo populo, cùm ei terram promiſſionis ingreſſuro, innumerabilis propè gentium inimicorum exercitus occurreret: *Dominus DEUS tuus conſumet nationes in conſpectu tuo paulatim, atque per partes: non poteris eas delere pariter*; ſed ſuo etiam commodô expertus eſt ſapientiſſimus ille Græcorum contra Perſas ſtrategus Leonidas, quantùm interſit, cùm per vires omnem ſimul aggredi non licet hoſtem, per partes conſumere ac debellare. Nunquam ille profectò decantatam illam victoriam ad thermopylarum fauces ab hoſte reportâſſet, niſi agmen ſuum, rarum utique, & manipuli ad inſtar, ſi cum Perſis conferretur, ita collocâſſet, ut quemadmodum niſi à paucis invadi non poſſet, ita absque negotio paula-

tim exercitum etiam innumerabilem hoſtium delere facile ipſi eſſet. Hoc idem faciendum eſt tibi, quisquis luſui ad inſaniam es deditus, nec iis polles animi viribûs, ut inimicum ſimul aggredi audeas, totíque tentationi te opponere, quando illa vivis tibi coloribûs, quàm arduũ ſit perpetuò luſum omnẽ à te abdicare, depingit. Opus non eſt, ut in omnem deinceps vitam id proponas, ſufficit ſeriò ita decernere: *Hodie, quidquid eveniat, quidquid machinentur ſocii, quidquid orcus ringatur, hodie non aleam, non chartam tractabo, non ludam: quid cras, quid perendie ſim facturus, cras & perendie ſtatuam.* Hac induſtria ille apud Caſſianum Monachus gulam debellavit, cùm annîs non paucis per dies ſingulos ad veſperum usque protraxit jejunium, abſtinendi ad id temporis legem minimè perpetuam & irrevocabilem ſibi ſanciens, ſed de die in diem, de hora in horam duntaxat duraturam.

Ex hujus medii uſu aliud enaſcitur, virtus videlicet, tentationem ſemel ſuperatam deinceps, ſi aggrediatur denuò, facilè aut ſaltem difficultate longè minore vincendi. Prima enim victoria difficilis utique & ardua eſt, eò quòd nondum per experientiam tyro miles didicerit, eandem obtineri poſſe. Aliæ verò ſequentes multò magìs in expedito ſunt, quia vires habitu vincendi incipiunt roborari, imò non tantùm magìs in expedito

&

& faciliores, ſed jucundæ etiam, & delectabiles. Nam ùt Ariſtoteles docet, habitus non ſolùm dat facilè agere, ſed etiam dat agere cum delectatione, compenſátque ingenti ſanè lucrô modicum illud laboris, quod ſuſtinetur, per inexplicabilem quandam ſuavitatem, qua poſt reportatum triumphum victor ſolet perfundi. Aude ergo initium aliquando, mi luſor! facere rumpendis, quæ conſuetudo tibi nexuit, vinculis, neque à tentatore, ſive Dæmon is ſit, ſive homo, decipi te patere, quantumcunque ille unam unicam luſionem, nullámque dein ſimulet ſe velle à te obtinere. Quod enim modò tibi contigit ſemel, id ſæpius uſuveniet: quem propenſæ voluntatis impetum hodie ſentis, quin audeas vincere, ſenties cras, ſenties porrò ſemper: quæ denique captioſa argumentorum ſimulacra hodie te dejicient, illa, mihi crede, ſæpius tibi proponentur, eò certiùs ſemper certiúsque vincendô, quò per plures victorias de te reportatas vires ac animum inimici tibi fecerint imbecilliorem. Nam, ſi veriſſimum eſt, quod Card. Pallavicinus aſſerit, in hoc differre corporis animíque habitus, quòd illi uſu infirmentur ac minuantur, hi uſu creſcant, ac ingentia capiant incrementa. Fieri certè aliter non poteſt, quàm ut luſor, quotíescunque ad luſum accedit, chartáſque & aleas verſat, toties habitum augeat & difficultatem deinceps abſtinen-

nendi, incrementîs, fateor, parvîs, & quæ ſingula non advertantur; univerſa verò inimico tentatori, pravæque conſuetudini victoriam de nobis ſemper indubiam eſſe ac certam faciant. Quisquis igitur verè hoc mancipatu exire deſiderat, vinculáque ac jugum hoc duriſſimum excutere, mox, ùt inſpirantem, pulſantem, monentémque DEUM ſentiet (ſentiet autem ſæpiſſimè) magno animô rumpat has catenas, & excutiat, aut ſaltem rumpere excuteréque incipiat, maximè ſi altiſsimas radices nondum egit habitus, quia negotium omne tunc multò magìs erit in expedito. Habet enim conſuetudo ſe glutinis ad inſtar. Si eo aſſeres bini recenter admodum & ab horis aliquot ſunt conjuncti, multo molimine opus non erit, quin etiam flatu, ùt ajunt, eos ſeparabis. Si verò ab annis jam aliquot vinculum id interceſſit, majori enimvero conatu opus eſt, quamquam ne tunc quidem ſeparaturus ſis, ſed fracturus duntaxat. Quidquid ſit, ſuadeo, exequere quamprimum rei aſſuetæ omiſſionem, & reipſa comperies, quàm verum ſit vetus illud verbum: *qui ſemel vincit, non ſemel vincit.* Magìs enim te diſpoſitum experieris ad alias deinceps aliáſque victorias, & habitum tandem contrahes, à quo præter dictam ſuprà delectationem, facilitatem quoque majorem & majorem plures referendi lauros tibi ſenties acceſſiſſe.

Ul-

Ultimum, quod affero, medium eſt id, quo nutrices uti ſolent, cùm infantulos cibi ſolidioris jam capaces à lacte deſuefaciunt. Illinunt illæ mamillarum papillis abſynthium, aut alium ingrati guſtûs ſuccum, gnaræ, alumnos ſuos, cùm ſuavitatis locô in eam amaritiem ſeſe incurriſſe ſenſerint, nec lacti poſtea, nec mamillis tantopere inhiaturos. Et verò nunquam illas ſpes aut fefellit, aut fallet. Cùm primùm enim labiola admoverit puſio quis, videbis continuò illum frontem in rugas contrahere, refugere, & ſi vel centies etiam invitetur, horrere tamen ſemper dulcedinem, quam meminit, ingratiſſima palati totius amaricatione jam ſemel ſibi ſtetiſſe, & timet etiam poſthac ſtaturam. Simile quid omnino faciendum tibi eſt, mi bone! quisquis luſui, ùt lacti infans, es aſſuetus. Inſpergenda tibi à te ipſo eſt luſuum ſupellex univerſa abſynthio ac felle, aut potiùs penitus luſûs omnîs indoles tibi inſpicienda eſt amarulenta illa, & inſipida, & non jam delectationem & illecebras, ſed horrorem propinatura. Conſiderandum tibi, quoticscunque ad luſum iterandum tentaris, ac cogitandum feriò eſt, luſum ſub neſcio quibus, ſpei vaniſſimæ, ſtultiſſimæque ſimulacris patrimoniorum eſſe voraginem, familiarum exitium, honoris peſtem, atque hæc mala, quidquid jucunditatis aliàs in eo lateat, id omne obruere & quodam quaſi venenô inficere.

re. Perpendendum dein, ínque memoriam revocandum, tot ſcelera, tot fraudes, tot perjuria blasphemiásque ex Lerna illa pullulare. Tot dein anguſtiarum, ſcrupulorúmque ac ſolicitudinum illam eſſe parentem, ut, ſi de voluptate alia ulla juſtè, de luſu certè juſtiſſimè dici poſſit, illum eſſe fellis, aloës ac abſynthii cadum, unâ unicâ mellis guttulâ malè utique conditum. Denique ut contra dictam tentationem robuſtiùs adhuc meliúsque te armes, ac inſtruas inviolabili propoſitô, ſancienda à te eſt ſingulis relapſibus ſua pœna maſcula fortitudine infligenda, quæ doloris, quem afferet, amaritudine, ac metu ſoláque recordatione mentem in concepto decreto pro futuris temporibus confirmet, ac, ne illi porrò peccare idem peccatum libeat, in officio fortiter continere poſſit. Habendus tibi es, ùt in curſum laſciviens & indomitus equus, qui vel vehementi habenæ adductione facilè à præcipitio, in quod tendebat, retrahitur, vel calcarium impreſſione violenta à torpore experrectus, ut alacriter eam, quam debet, ſemitam teneat, propellitur. Aliquis certè eo, quo tu morbo laborans, & aſſuetus præterea frequentiſſimas in blasphemias erumpere, vix pro ſingulis deinceps lapſibus ſingulos dies pane & aqua transacturum ſe propoſuerat, cùm linguam protinus ùt parcæ hujus menſæ fugitantem, ita vel verbulum etiam blasphemum effundere

horren-

horrentem expertus eſt. Alius, cui mentiri ita in conſuetudinem abîerat, ut tertio quoque verbo mendacium effutiret, quò turpi hoc morbo ſe liberaret, decrevit, quotiescunque veritati porrò fidem frangeret, toties linguæ ductu magnam ſatìs crucem in terra ſeſe effícturum. Neque dubito, quin delicatum hoc membrum ſupplicii hujus horrore breve intra tempus mendaciloqua eſſe dedocta fuerit. Quid oberit, te quoque hoc genus mediîs uti? imò quantùm proderit! tu ipſe paulò pòſt fateberis, multum ſanè virtutis medicæ illis ineſſe, téque experientiâ didiciſſe, quod de eorum efficacia Chryſoſtomus in hæc verba ſcriptum reliquit. *Novi,* inquit *Hom. 9. ad Popul. multos referentes: mandatum fecimus leges nobismet ponentes, & jurantibus pœnas definientes. DEO gratias egimus, quòd non in petris ſeminavimus,*

§. III.
EXEMPLA.

UT Parti huic Coronidem imponam, aliquos ſaltem ex multis in exemplum, quod imiteris, adducere poſſem, qui cane pejùs, quod ajunt, & angue luſum omnẽ & horruerunt ſemper, & deteſtati ſunt. Ita enim ex Sacra Scriptura afferre poſſem Jeremiæ Exemplum, qui coram Summo Numine proteſtatur, ſanctè gloriabundus: *Non ſedi in concilio*

lio ludentium cap 15. Aut piiſſimæ Saræ, quæ de innocentia cum DEO ſermonem habens: *Nunquam*, inquiebat, *cum ludentibus miſcui me. Tob. c. 3.* Sic ex Hiſtoria Eccleſiaſtica recenſere obvium eſſet Beati Maximi exemplum, qui poſt converſionem vitæque ſtrictioris viam initam, nullum peccatorum præteritorum oderat magìs, quàm *Aleâ ſe luſiſſe*, cujus ſi vel ſolùm ſubiret memoria, & copioſiſſimè & amariſſimè & diutiſſimè plangebat, ùt teſtatur Ang. Roc. *in Com. c. 7.* Sic deſcribendus veniret Venetus quoque ille, cujus nomen tacent Hiſtoriæ, qui, poſtquam ſortis volubilitatem variis in luſibus expertus eſſet, cùm aliquando, ea favente uſus, jacturas præteritas quoquomodo compensâſſet, votum de omni poſthac luſu vitando conceptum ita inviolatum ſervavit, ut quantumcunque urgerent Sodales, multîs & gravibûs etiam rationibûs allatîs, tamen ne una unica quidem vice, ut chartas aleásque contingeret, perſuaderi potuerit. Denique ex profana etiam Hiſtoria mentionem facere opportunum foret Mandarinorum Chinenſium, qui, ùt nobilitate & ſapientiâ aliis omnibus in vaſtiſſimo illo regno antecellunt, ita non ſolùm ipſi tanquam rem abominandam chartarum aleárumque luſum fugiunt, rati, vili ſolùm plebeculæ & Provinciarum Regníque fæci eum convenire; ſed filiis etiam adeò ſeverè eo interdicunt,

cunt, ùt, quisquis reus deprehenderetur, atrociſſimîs pœnîs culpam luere illum eſſènt coacturi. Hæc, inquam, omnia pro Coronide adducere ac recenſere poſſem. Verùm præplacet mihi ſupremam manum dictis imponere exſcribendô illam Divi Bernardini Senenſis Parænesin, quam de luſûs abominatione, fœditate, & exterminatione ad Superiores Eccleſiaſticos, & politicos Magiſtratus recitavit. En tibi ipſa Sancti verba: Quapropter perſpectîs ludi malignitatibûs, & quot, & quanta mala ex illo vos Domini & Officiales, ad quos pertinet de talibus providere, excitate intelligentias, & ſtatuite pœnas non ſolùm contra luſores, ſed & contra omnes tabularia, taxillos, & charticellas, & conſimilia facientes, vendentes, & tenentes, & diligenti executioni contra talia mandentur juſtiſſimæ ſanctiones. Et ut tantum bonum meliùs ſortiatur effectum, ex gratia ab omnibus vobis pro munere peto mihi per nuntios fidos transmitti omnia talia inſtrumenta conſueta ad fortuitum ludum; ſicut ſunt tabularia, taxilli, & charticellæ, & conſimilia, ut adunata inſimul cum Licentia Domini Epiſcopi mihi conceſſa publicè comburantur. Quod qui fecerit, participem eſſe volo omnium Miſſarum, quas in toto præſenti anno dicturus ſum. Nec quisquam ſe ab hoc juſtiſſimo opere retrahere debet, & hoc maximè triplici reſpectu, DEI, ſui, &

 proximi.

proximi. DEI, ut videlicet, ſicut in talibus inſtrumentis publicè confuſus eſt DEUS, ſic per eorum concremationem publicam ludus & crimina ejus cum ſuo inventore Diabolo confundantur. Sui verò reſpectu, ut ludendi occaſiones, quæ ſunt inſtrumenta ejus, removeantur. Denique reſpectu proximi, ut videlicet, ſicut per ludos atque per ludi ſcelera mediantibus talibus inſtrumentîs contaminatus, & ſcandalizatus eſt proximus, ita per ludi & inſtrumentorum ejus combuſtionem proximus ædificetur, & contra ludum inanimetur. Nec ex avaritia debet quisquam aliquid horum & maximè tabularia reſervare: Verus enim pœnitens ac rectus peccati horror abominatur cuncta, per quæ Divina Immenſitas eſt offenſa: nec probat ſe dilexiſſe Patrem, qui libenter ſeu patienter gladiô utitur, quo Pater ejus peremptus eſt. Abjiciat ergo quivis generosè à ſe hæc ludendi incentiva, & ea in gratum DEO holocauſtum offerat. Sic enim Eccleſia malignantium deſtruetur, luſores Divina favente gratia corrigentur, & ludi ſcelera cum eorum dæmonibus confundentur, virtutes verò & gratiæ in omnibus ſuſcipient incrementum.

S. Bern. Sen. Tom. I. Serm. 42.

FINIS.

Omnia ad Majorem DEI, Deiparæque Virginis Honorem & Gloriam.

02-5541
Aleph 1715648

French